



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exorcismorum

Eynatten, Maximilien de

Antverpiae, 1626

Pars Tertia, Continens modum & praxim exorcizandi & curandi spiritualiter omne genus maleficiorum seu incantationum, quibus homines in propriis corporibus, & aliis bonis externis, à malis spiritibus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-40734

MANVALIS
EXORCISMORVM
PARS TERTIA,

*Continens modum & praxim exorcizandi
& curandi spiritualiter omne genus
maleficiorum seu incantationum quibus
homines in propriis corporibus, & aliis
bonis externis, à malis spiritibus vel
maleficis ope demonum affliguntur.*

EXORCISMVS pro maleficiato in
proprio corpore.

PRÆTER Instructiones gene-
rales in prima Parte huius Ma-
nualis positas, sæpè etiam Pa-
stores & alij curam afflictorum
gerentes perlegent ea que de
hoc argumento habentur in Rituali Romano
& in Pastoralis Mechliniensi.

Quando Pastor vel Exorcista aliquis ex
magnis & probabilibus indiciis (de quibus in
Instructione) deprehendet aliquem in corpore
suo esse maleficiatum: dictus maleficiatus exor-
cizan-

cizandus, si per infirmitatem possit, veniet ad Ecclesiam ante meridiem, & præmissa Confessione & sacra Communionem, flectet genua, vel sedebit ante altare Venerabilis Sacramenti, vel beatissimæ Virginis, vel alterius Sancti vel Sanctæ. Si vero domi propter infirmitatem debet exorcizari, ante imaginem Crucifixi, aut beatissimæ Virginis; & corde sursum ad Deum elevanto, manu tenebit cereum benedictum accensum, vel iuxta eum ponetur.

Sacerdos exorcizaturus, alba vel superpelli- ceo cum stola indutus, aliam stolam afflicto super humeros in modum Crucis imponet, Aqua benedicta afflicto & circumstantes asperget, illósque inuitabit ad sedulo orandum cum ipso. Quibus ita dispositis, dicat primum,

Oremus,

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum.
Resp. Amen. *Oremus.*

Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam donare dignatus es, vt quidquid in tuo nomine ab iis agitur, à te fieri credatur: quæsumus clementiam tuam, vt quidquid modò visitaturi sumus, visites, quidquid benedicturi, benedicas: sitq; ad nostræ

196 MANVALIS EXORCISMORVM
humilitatis introitum Sanctorum tuorum
meritis fuga dæmonum, & Angeli pacis in-
gressus. Per Christum Dominum nostrum.
Resp. Amen.

*Deinde flexis genibus alta voce legat Lita-
nias Sanctorum, prout habentur supra fol. 141.*

Psal. 29.

In fine Pater noster. Ave Maria. *Vers.* Exau-
diat te Dñs in die tribulationis. *Resp.* Prote-
gat te nomen Dei Iacob. *Vers.* Mittat tibi
auxilium de sancto. *Resp.* Et de Sion tuea-
tur te. *Vers.* Impleat Dominus omnes peti-
tiones tuas. *Resp.* Nunc cognoui quoniam
saluum fecit Dominus Christum suum.
Vers. Domine exaudi orationem meam.
Resp. Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Do-
minus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.
Oremus.

OMnipotens clementissime Deus, &
bonitatis infinitæ, qui secundum mul-
titudinem sapientiæ & misericordiæ tuæ
quos diligis castigas, & flagellas omnem fi-
lium quæ suscipis: te suppliciter inuocamus,
vt famulo huic tuo [famulæ huic tuæ] N.
qui [quæ] in corpore suo membrorum
debilitatem & dolorem patitur, gratiam
tuam conferre digneris, vt quidquid ab eo
[ea] humana fragilitate peccatum, ignosce-
re; quidquid diabolica in eo [ea] prauitate
corruptum aut violatum est, purgare, resti-
tuere,

tuere, sanare digneris, nocumento omni ac dolore sublato, cunctisq̄ malignorum spirituum pestiferis machinamentis procul depulsis.

Miserere Domine contritionis & pœnitentiæ, miserere gemituum & lacrymarum illius cunctorumq̄; circumstantium, gloriam tuam & misericordiam pro illo [illa] humiliter implorantium: & non habentem fiduciam nisi in misericordia tua, ad tuæ gratiam reconciliationis clementer admitte. Per Christum Dominum nostrum. *Resp. Amen.*

Oremus.

Deus, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu: inclina, quęsumus, aurem tuam supplicationibus nostris; & famulum tuum [famulam tuam] aduersa corporis valetudine laborantem clementer visitare, oculisq̄ tuæ miserationis respicere digneris, cælestemq̄; ei & salutarem medicinam impendere. Per Christum Dominum nostrum. *Resp. Amen.*

Oremus.

Deus humanæ infirmitatis singulare præsidium: auxiliij tui super infirmum famulum tuum [infirmam famulam tuam] ostende virtutem; vt ope misericordiæ tuæ adiutus [adiuta] Ecclesiæ tuæ incolumis

198 MANVALIS EXORCISMORVM
repræsentari mereatur. Per Christum Do-
minum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

P Reces famuli tui, quæsumus Domine,
clementer exaudi, vt qui iustè pro pec-
catis suis affligitur, pro tui nominis gloria,
misericorditer liberetur. Per Christum Do-
minum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

D Eus, qui beatum Petrum à vinculis
absolutum, illæsum abire fecisti; famu-
li tui [famulæ tuæ] *N.* in afflictione consti-
tuti [constitutæ] vincula absolue, & eum
[eam] mente & corpore illæsum abire
concede. Per Dominum nostrum Iesum
Christum filium tuum, qui tecum viuit &
regnat in vnitæte Spiritus sancti Deus, Per
omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

*Surgens Exorcista ab oratione, asperget in-
firmum Aqua benedicta, & stans leget super
eum sequentia.*

Lectio libri Exodi. *Exod. 7.*

I N diebus illis: Ingressi Mōyses & Aaron
ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat
Dñs: tulitq; Aaron virgam coram Pharao-
ne & seruis eius, quæ versa est in colubrum.
Vocauit autem Pharaon sapientes & malefi-
cos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes
Ægyptiacas, & arcana quædam similiter,
proie-

proieceruntque singuli virgas suas, quæ ver-
sæ sunt in dracones. Sed deuorauit virga
Aaron virgas eorum. Tu autem Domine
miserere nostri. *Resp.* Deo gratias.

Lectio sancti Euangelij secundum
Marcum. *Marc. vlt.*

IN illo tempore: Recumbentibus vnde-
cim discipulis, apparuit illis Iesus: & ex-
probrouit incredulitatem eorum & duri-
tiam cordis; quia his, qui viderant eum re-
surrexisse non crediderunt. Et dixit eis:
Euntes in mundum vniuersum, prædicatè
Euangelium omni creaturæ. Qui credide-
rit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò
non crediderit, condemnabitur. Signa au-
tem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In
nomine meo dæmonia eiicient, linguis lo-
quentur nouis, serpentes tollent: & si mor-
tiferum quid biberint, non eis nocebit: su-
per ægros manus imponent, & benè habe-
bunt. Et Dominus quidem Iesus, postquam
locutus est eis, assumptus est in cælum, &
sedet à dextris Dei. Illi autem profecti, præ-
dicauerunt vbique: Domino cooperante, &
sermonem confirmante sequentibus signis.
Resp. Laus tibi Christe.

Per Euangelica verba tollantur & de-
struantur in N. omnia diabolica opera.
Resp. Amen.

Psal. 11. **D**isperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.

Psal. 2. Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.

Psal. 67. Sicut deficit fumus, deficient; sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Psal. 57. Sicut cera quæ fluit, auferentur; supercidit ignis, & non viderunt solem.

Psal. 36. Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iustos Dominus.

Psal. 7. Nisi conuersi fueritis, gladium ✠ suum vibrabit, arcum ✠ suum tetendit, & parauit illum.

Et in eo parauit ✠ vasa mortis, sagittas ✠ suas ardentibus effecit.

Psal. 23. Hic *N.* accipiet bene✠dictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

Psal. 2. Dirumpamus vincula ✠ eorum, & proiciamus ✠ à nobis iugum ipsorum ✠.

Psal. 134. Bene✠dicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.

Possunt etiam recitari & alij Psalmi, utpote Qui habitat in adiutorio, &c. fol. 57. In te Domine speraui, &c. fol. 68. & alij.

EXORCISMVS.

EXorcizo te *N.* corpore infirmum, sed per Spiritum sanctum ex sacro Baptismi Sacra-

cra-

cramento renatum, per Deum viuum †, per Deum verum †, per Deum sanctum †, per Deum qui te primùm de terra creauit, & postea satanæ fraudibus perditum, pretioso Sanguine suo redemit, vt effugiat atq; discedat à te omnis phantasia, nequitia ac versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus, adiuratus per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp. Amen.*

Et tu maledicte satana, quisquis huic famulo Dei N, per quoscumque vel quomodocumque læsionis aliquid intulisti, recognosce sententiam tuam: da honorem & gloriam Deo viuo & vero: da honorem Iesu Christo filio eius Domino nostro: da honorem Spiritui sancto Paraclito, vt cū omnibus noxiis & maledictis operibus & conatibus tuis ab hoc seruo Dei, ad imaginem eius factò, & pretioso Sanguine Christi filij eius redempto, confestim abscedas, nec amplius ei vel rebus ipsius diutiùs nocere præsumas. Per eundem Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum. *Resp. Amen.*

Deinde aspergat Aqua benedicta.

Alia formula exorcizandi
maleficiatos quoscūque.

ERVATIS eis quæ suprà dicta
sunt, leget Exorcista alta voce
flexis genibus Litanias Sancto-
rum, suprà fol. 141. vel beatif-
sima Virginis, fol. 126. cum
Collectis sequentibus ibidem.

Posteà surgens ab oratione, asperget infir-
mum Aqua benedicta, & leget sequentia stans
versus illum.

Lectio Libri Sapientia. Eccli. 36.

Miserere nostri Deus omniū, & respice
nos, & ostende nobis lucem misera-
tionum tuarum; & immitte timorem tuum
super gentes, quæ non exquisierunt te, ut
Matth. 26. cognoscant quia non est Deus nisi tu, &
enarrent magnalia tua. Tu autem Domi-
ne miserere nobis. Resp. Deo gratias.

Lectio sancti Euangelij secundum
Ioannem. Ioan. 1.

IN principio erat Verbum: & Verbum
erat apud Deum: & Deus erat Verbum.
Hoc erat in principio apud Deum. Omnia
per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est
nihil. Quod factum est, in ipso vita erat: &
vita erat lux hominum: & lux in tenebris
lucet,

lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine: vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognouit. In propria venit: & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his, qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CARO FACTUM EST:** & habitauit in nobis, (& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre,) plenum gratiæ & veritatis. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica verba tollantur & destruantur in *N.* omnia diabolica opera. *Resp.* Amen.

Ex Psalmis, ad consolationem afflicti.

EXspecta Dominum, & custodi viam eius, & exaltabit te vt hereditate capias terram; cùm perierint peccatores videbis.

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor
bor

204 MANVALIS EXORCISMORVM
bor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.

Psal. 26. Exspecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Psal. 54. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem iusto.

Psal. 90. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus.

Psal. 120. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Psal. 90. Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno.

Psal. 120. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.

Psal. 33. Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his ✝ non conteretur.

Oremus.

SAna me Domine, & sanabor; saluum me fac, & saluus ero, quoniam laus mea tu es. Non sis mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. Confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego; paueant illi, & non paueam ego; induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere

tere eos. Per Dominum nostrum, &c.
Resp. Amen. Oremus.

DEUS, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clauibus regni cælestis, ligandi atque soluendi pontificium tradidisti: concede, vt intercessionis eius auxilio, à peccatorum nexibus, & diaboli vinculis hic famulus tuus [hæc famula tua] N. liberetur. Per eum qui venturus est iudicare sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

E X O R C I S M V S.

ADIURO vos †, dæmones infernales, spiritus maligni, qui ad inferendum malum huic creaturæ Dei N. fabricastis & conseruatis maleficium in ea, per Deum Patrem omnipotentem †, & Filium eius vnicum Dominum nostrum Iesum Christum †, & per Spiritum sanctum † Paraclitum ab utroque procedentem, & vobis præcipio, vt omnibus incantationibus, fascinationibus, signaturis, ligaturis, statim sublatis, ab hac creatura Dei, & ab omnibus rebus eius recedatis, atque liberam ab omni maleficio, incantatione, & ligatura relinquatis, per sacratissimum, tremendum, honorandum & glorificandum nomen I E S V, & per virtutem eius, qui est Alpha & Omega, principium & finis, qui ambulat super pēnas ventorum, qui omnia ex nihilo sua omnipotentia

tenti

206 MANVALIS EXORCISMORVM
tenti virtute creauit, per quem omnes Sancti & electi Dei beatificantur, ante cuius faciem ignis præcedet, & inflammabit vos inimicos suos. Adiuro vos † maligni dæmones, inimici triumphatoris Iesu Christi Nazareni, vt cessetis hanc creaturam Dei N. lædere, & vestris maleficiis vexare, per potentiam illius qui vos rebelles à consortio sãctorum Angelorum exclusos ad sedes tartareas damnauit igne & sulphure cruciandos, vt protinus destruatís & ad nihilum redigatis omnia maleficia, incãtationes, fascinationes, ligaturas, & omnes vestras noxias pactiones, quibus hanc Dei creaturam infestare & affligere præsumpsistis, eamque liberam & sanam, & sine vlla læsione animæ & corporis in posterum permittatis, vt mēte & corpore pariter expedita, liberam seruitutem suo exhibeat Creatori, Qui viuít & regnat, &c.

Asperget aqua benedicta infirmum.

Alius EXORCISMVS.

ADiuro vos † iterum dæmones, per Deum omnipotentem, qui diuisit lucem à tenebris, stabiliens cælos, & eis mēsuras ponens, vt statim sine mora amoueatís ab hac creatura Dei omnia nocumenta vestra, & ipsam sine læsione relinquatis. Adiuro vos † per magnum nomen Domini

ni IESV Christi filij eius, ne ampliùs appropinquetis huic creaturæ, ad ei inferenda, vel in ea conseruanda aliqua maleficia, & à vexatione vestra libera relinquatis omnia quæ ad illam pertinent. Adiuro vos ¶ in virtute Spiritus sancti Paracliti, vt si quid in signum positum est ad huius creaturæ afflictionem, illud statim amoueat, & ¶ nullá vsurpetis audaciam obsequendi maleficis hominibus ad nocendum huic creaturæ, & omnia quæ posuistis ad lædendum valetudini eius, statim tollatis & remoueat, sine aliqua læsione animæ & corporis eius, & illa portetis ad loca arida, sterilia, & inhabitabilia. Et sicut per beatos Apostolos Dei Petrum & Paulum dissolutæ & ad nihilum redactæ fuerunt incantationes factæ per Simonem Magum, ita auctoritate Dei omnipotentis dissoluantur omnes sortilegæ artes, præstigia, & incantationes inuentæ & fabricatæ ad lædendum & nocendum huic creaturæ. Similiter adiuro vos per nomen Domini nostri Iesu Christi, qui descendens ad inferos, deuicta potentia inferni, animas sãctorum Patrum inde extractas secum ad caelos triumphator inuexit, vt remoto omni dolo & obstinatione, destruatis & tollatis omnem malignam fascinationem ab hac creatura Dei, omniaque nociua eius corpori ingesta edu-

edu-

208 MANVALIS EXORCISMORVM
educatis per illam viam quæ sit magis libera & expedita absque læsione corporis & san-
nitatis eius. In virtute eiusdem Domini no-
stri Iesu Christi; qui venturus est iudicare
vivos & mortuos, & sæculum per ignem.
Resp. Amen.

Alius EXORCISMVS.

*Teneat Exorcista manus super vel versus
infirmum.*

EXtinguatur in te N. omnis virtus diabo-
lica per impositionem manuum mea-
rum, & per inuocationem omnium sancto-
rum Angelorum, Archangelorum, Patriar-
charum, Prophetarum, Apostolorum, Mar-
tyrum, Confessorum, atque Virginum, &
omnium simul Sanctorum, in nomine Pa-
tris ☩, & Filij ☩, & Spiritus ☩ sancti. Amen.

Prosequetur.

A Periat tibi Dominus Deus noster ia-
nuam misericordiæ suæ, & liberet te à
malis tuis & omnibus insidiis & machina-
tionibus inimicorū tuorum, tam malorum
spirituum quàm ministrorum eius, per in-
tercessionem beatissimæ Mariæ matris &
virginis, & per sãctum Ioannem Baptistam,
per Apostolos suos Petrum & Paulum, &
alios Apostolos, per omnes sanctos Innocē-
tes, Martyres, & Confessores atque Docto-
res, per omnes sanctos Sacerdotes & Leui-
tas,

210 MANVALIS EXORCISMORVM
nostra assumpſisti & ſanaſti Domine, &
viam ad cælos nobis ſtrauiſti, & corruptio-
nem in incorruptione mutaſti: exaudi me
cum deſiderio & metu clamantem ad te,
cuius timore montes liqueſcunt, cum fir-
mamento, quod ſub cælo eſt; cuius virtute,
muta elementorum ingenia horrent, custo-
dientes ſuos limites; per quem ignis ille vl-
tionis non excedit fines ſibi poſitos, ſed ge-
mens expectat nutum tuum; propter quam
omnis creatura, ceu parturiens cruciatur,
gemēs gemitibus inenarrabilibus iuſſa ma-
nere ad opportuna tempora; quam fugit
omnis aduerſaria poteſtas, & à quo hoſtilis
exercitus domitus eſt, & diabolus concidit,
ſerpens conculcatus eſt, & draco occiſus
eſt, per quem gentes tibi conſitentes, illumi-
natæ & confortatæ ſunt in te Domine, per
quem vita manifeſtata eſt, ſpes ſola data eſt,
fides roborata eſt, Euangelium annūtiatum
eſt, per quem homo è terra denuò conditus
eſt, in te collocata fide. Quis enim tui ſimi-
lis Deus omnipotens? Quare oramus te
Deus patrum noſtrorum & Domine miſe-
ricordiæ, qui es ante ſæcula omniq; ſubſtan-
tia ſuperior, respice hunc tuum famulum te
adeuntem in ſancto tuo nomine, & dilecti
Filij tui Ieſu Chriſti, & ſancti omnipotentis
& viuifici Spiritus tui; depelle ab anima ip-
ſius

fius omnem languorem, omnem infidelitatem, omnem spiritum immundum, vellicatorem, subterraneum, igneum, olidum, concupiscentiæ plenum, auri argentiq; auidum, superbum, meretricium, tenebrosum, informem, impudentē. Ita Deus abige ab hoc famulo tuo omnem vim diaboli, omne incantamentum, omne veneficiū, idololatriam, diuinationē ex astris, Græcè astromantiam, astrologiam, necromātiā, augurium, molliciem, amorem, auaritiā, temulentiam, scortationem, adulterium, lasciuia, impudentiam, iram, contentionem, inconstantiam, & omnem suspicionem malam. Etiam Domine Deus inspira illi spiritum tuum pacificum, vt eo munitus referat fructum fidei, virtutis, sapientiæ, puritatis, continentia, charitatis, benignitatis, spei, mansuetudinis, longanimitatis, patientiæ, sobrietatis & intellectus, quoniam te inuocat seruus tuus, in nomine Iesu Christi credens in consubstantialem Trinitatem, vnà testificantibus Angelis, Archangelis, gloriosis Dominatibus, & omni caelesti exercitu: & cum hoc custodi & corda nostra, quia potens es Domine, & tibi gloriam referimus Patri, & Filio, & Spiritui sancto. *Resp. Amen.*

Deinde aspergat Aqua benedicta, & cum benedictione dimittat.

O 2

Pos-

Possunt prædicti Exorcismi sæpiùs repeti, & inde sumi quos malit Exorcista, & ad singulos asperget infirmos Aqua benedicta. Continuabit autem legere super infirmum diuersis vicibus bis vel ter in hebdomada, vel diebus alternis, quoties & quamdiu ipsi prudenti Exorcista videbitur.

Poterunt prædicti Exorcismi seruire non tantùm pro energumenis, sed etiam pro aliis maleficiatis & ex maleficio infirmis.

Si quis prolixiores desiderat, adiunget his Preces positas infrà pro variis agritudinibus, & aliis malis, mutatis mutandis.

Remedia generalia, de quibus in Instructiõibus generalibus, utpote de Reliquiis, Agnis Dei, &c. ferendis, item de exercitiis piorum operum ad placandum Deum, & similibus Ecclesiasticis remediis, de quibus in singulis ferè titulis infrà particulariùs agitur, etiam his infirmis applicabit Exorcista, & de illis piam dabit instructionem.

Si verò afflicto non liberato Exorcista concludere voluerit, uti poterit Protestatione superiùs posita fol. 180. omisso Exorcismo.

Post liberationem aget Exorcista gratias Deo pro beneficiis obtentis, sicut præscriptum est suprà, fol. 188. pro liberatione obsessi, cum admonitione salutari ad liberatum, prout ibidem.

Reme-

Remedia contra febres, pestem, &
alias infirmitates naturales.



QVONIAM mundus scater variis re-
mediis superstitiosis & illicitis contra
febres & alios morbos naturales, qui-
bus ita passim homines fidunt, ut non
solum negligat Medicos & medicinas naturales,
sed etiam recursum ad Deum per preces & alia
pia opera. Proinde curam habentes animarum
aliiq, Exorcista, studebunt ab huiusmodi subditos
suos aut ad curam suam spectantes auertere; do-
cebuntq, non solum illa reiicienda quae per inscri-
ptos characteres & nomina barbara, vel alia hu-
iusmodi, apertum superstitionis indicium pra se
ferunt, sed & alia in quibus occultè magis, & ob
id periculosius immiscentur vana caerimonia &
ritus ab Ecclesia cōsuetudine alieni, quantumuis
multi per illa videantur iuari & sanari, cum in
hisce rebus non tam ab experientia sumendum
indicium, quàm à regulis fidei, & Ecclesiae doctri-
na & traditione. Monebunt illos ut utantur ap-
probatis ab Ecclesia remediis spiritualibus, qua-
lia sunt, vita & morum emendatio, confessio Sa-
cramentalis, sacra Communio, Missa sacrificij au-
ditio, preces feruentes & continua ieiunia, elec-
mosyna, & alia pia opera. Huiusmodi infirmi re-
uerenter secum deferre possunt particulas sancta-
rum Reliquiarum, Agnos Dei, Euāgelium sancti
Ioannis, & similia sacrae Scripturae testimonia;

modò non ponant spem in ipsis verbis, in modo
 scriptiois, numero crucium, figura, aut similibus
 nihil ad rem pertinentibus, sed effectũ expectent
 supernaturali Dei beneficio. Similis est ratio de
 pane, sale, & aliis rebus iuxta morem Ecclesiæ be-
 nediãtis, quibus uti possunt, confidentes quòd
 Deus exaudiet preces Ecclesiæ fusas pro eis qui
 rebus illis utuntur. Videantur ea quæ de prædi-
 ctis latius habentur in Instructione.

Quando Sacerdos requiretur ut pro huiusmo-
 di infirmis more Ecclesiæ oret, indutus Alba vel
 superpelliceo & stola, ante omnia asperget infir-
 mum Aqua benediãta: deinde clara voce dicet
 flexis genibus:

Vers. Adiutorium ✠ nostrum in nomine
 Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.
 Postea *Litanias omnium Sanctorum*, prout su-
 præ habentur, fol. 141. *Vers.* Domine exau-
 di orationem meam. *Resp.* Et clamor meus
 ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus, cui proprium est misereri semper
 & parcere, suscipe deprecationem no-
 stram, ut nos & omnes famulos tuos, quos
 delictorum catena constringit, miseratio
 tuæ pietatis clementer absoluat.

EXaudi, quæsumus Domine, supplicum
 preces, & confitentium tibi parce pec-
 catis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas
 benignus & pacem.

Inef-

Ineffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende; vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice; & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte. Per Dominum nostrum, &c. *Resp. Amen.*

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo *N. infirmo*, pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium: vt reddita sibi fanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Dominum nostrum, &c. *Resp. Amen.*

Oremus.

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium: auxiliij tui super infirmum famulum tuum *N.* ostende virtutem: vt ope misericordiæ tuæ adiutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur. Per Dominum nostrum, &c. *Resp. Amen.*

Surgens ab oratione, asperget infirmum Aqua benedicta, & leget super eum sequentia.

Lectio Epistolæ beati Iacobi Apostoli.

Iacobi 5.

Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, un-

O 4

gen-

216 MANVALIS EXORCISMORVM
gentes eum oleo in nomine Domini. Et
oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit
eum Dominus: & si in peccatis sit, remit-
tentur ei. Confitemini ergo alterutrum pec-
cata vestra: & orate pro inuicem vt salue-
mini: multum enim valet deprecatio iusti
assidua. Tu autem Domine miserere nobis.
Resp. Deo gratias.

Sequentia sancti Euangelij secundum
Lucam. *Luca 4.*

IN illo tempore: Surgens autem Iesus de
synagoga, introiuit in domum Simonis.
Socrus autem Simonis tenebatur magnis fe-
bribus, & rogauerunt illum pro ea. Et stans
super illam, imperauit febrim, & dimisit il-
lam. Et continuo surgens, ministrabat illis.
Resp. Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta reddat tibi Deus
sanitatem mentis & corporis. *Resp.* Amen.

Ex Psalmis.

Psal. 102.

Domine, non secundum peccata nostra,
quæ fecimus nos: neque secundum ini-
quitates nostras retribuas nobis.

Psal. 78.

Domine, ne memineris iniquitatum no-
strarum antiquarum, citò anticipent nos
misericiendiæ tuæ: quia pauperes facti su-
mus nimis.

Psal. 6.

Miserere mei Domine, quoniam infir-
mus sum: sana me Domine, quoniam con-
tur-

turbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde.

Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. *Psal. 30.*

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea: & ossa mea conturbata sunt.

In Deo speravit cor meum, & adiutus sum: & reffloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei. *Psal. 27.*

Misit Dominus verbum suum, & sanavit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum. *Psal. 126.*

Possunt hæc sæpiùs reiterari.

*Si plures & longiores quis desideret Exorcismos, sumat ex præcedentibus, eosq; accom-
modet intentioni suæ.*

Remedia spiritualia contra philtrea amatoria.



CUM usus philtroꝝ sit diabolicū inuentum, cum quo etiam ordinariè cōcurrunt maleficia: & experientia doceat huiusmodi veneficio insectos potius iuuari remediis spiritualibus, quàm naturalibus medicinis (licet hæ negligi non debeāt;) opera pretium erit hic adiungere media licita & ab

Ecclesia approbata, quibus curam animarum gerentes poterunt huiusmodi afflictis succurrere, & consolationem aliquam adferre, & volūtes eorum præseruare ab illicitis amoribus, in quos reliqua corporis harmonia per prædicta venena inclinat & excitatur: tum etiam corpus præseruetur Dei auxilio & fauore à variis morbis & languoribus, & ab ipsa morte.

Curabit itaque curam animarum gerens, ut huiusmodi afflictio vel afflictæ tempestiue applicentur remedia utriusq; generis tam naturalia quam spiritualia. Naturalia, ut per medicinas refrigerantes & imminuentes ardorem libidinis, & per expellētes, sumptum venenum tollant vel imminuant. Spiritualia, quæ carnem macerent, & doment: qualia etiam sunt vitatio conspectus rei amata, occupatio mentis in curis grauioribus & piis, lectio bonorum librorum, cogitatio mortis, iudicij, & inferni, contemplatio vilitatis corporis humani, quid fuerit ante animationē; quid nunc sit, sublata cutis tenuissima pellicula; quid, cum anima recedet, futurum: meditatio denique passionis & mortis Domini nostri, & alia quæ mentem egrotantis auertere à nefario amore possint, & inducere sanctum feruorem erga Deum.

Suadebit ei etiam vsum frequentem Sacramentorum, Cōfessionis, & Sacramenti Altaris, aliq; pia opera. Applicabit illi etiam Preces & Exorcismos, maximè huic malo accommodatos, quales sunt qui suprā habentur contra maleficia quibus afflictatur sanitas corporū humanorum fol. 195.

Item

Item qui habentur contra varias aegritudines naturales, fol. 213. vel qui infra ponuntur contra succubos & incubos, fol. 230. Adiungantur praedictis Exorcismis sequentes Orationes Ecclesiae.

Oremus.

VRe igne sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum, Domine: vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: qui tecum viuit & regnat in vnitae eiusdem Spiritus sancti. *Resp.* Amen.

Oremus.

Domine adiutor & protector noster, adiuua nos: & refloreat cor & caro nostra vigore pudicitiae, & castimoniae nouitate: & ab omnibus quæsumus tētationibus emundemur. Per Dñm nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

Deus qui iustificas impium, & non vis mortem peccatoris: maiestatem tuam suppliciter deprecamur, vt famulum tuum de tua misericordia confidentem, caelesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserues: vt tibi iugiter famuletur, & nullis tētationibus à te separetur. Per Dominum, &c. *Resp.* Amen.

Oremus.

Omnipotens & mitissime Deus, respice propitius ad preces nostras, & libera
corda

220 MANVALIS EXORCISMORVM
corda nostra de malarum tentationibus cogitationum: vt sancti Spiritus dignum fieri habitaculum mereamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: qui tecum viuit & regnat in vnitae eiusdem Spiritus sancti, &c. Resp. Amen.

Oremus.

DEus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: illumina, quæsumus, corda nostra gratiæ tuæ splendore: vt digna ac placita maiestati tuæ cogitare semper, & te sincerè diligere valeamus. Per Dominum, &c. Resp. Amen.

Remedia spiritualia pro impeditis per maleficia, ope dæmonum, in matrimonio.



QVIA maleficium ligatura, vt vocat, & pleraq; alia, quæ ordinariè hominibus contingunt, & eueniunt ex defectu fidei, spei, & charitatis in Deum, Deo sic iusto iudicio hominum incredulitatem & diffidentiam puniente, teste S. Leone Papa Serm. 19. de Passione, hinc Pastores serio monebunt coniungendos & coniugatos, nihil esse timendum ab huiusmodi ligaturis & maleficiis, sed firma fide credendum, Dominum Iesum Christum assistere Sacramento atque instituto suo; præcipuè cum recta fide, bona intentione, & pura conscientia suscipiunt.

piuntur, vel qui susceperint utantur. Vnde caue-
bunt Pastores eorumq; substituti, ne ob timorem
innodationis vel ligaminis alicuius, matrimonia
solemnizent modo aliquo ab Ordinario loci non
approbato, ne ipsi, qui alios ab huiusmodi vano
timore, verbo & exemplo retrahere debent, ipsis
mali & damnabilis timoris exemplum præbere
videantur. Neque tamen per se est illicitum (ideó-
que permitti interdum poterit) quòd quidam, ne
maleficio aliquo impediantur ab opere coniugali,
Matrimonium contrahere desiderent ignoran-
tibus illis à quibus maleficiu[m] metuunt, adeoq;
in parte templi secretiori.

Coniugibus, qui Deo permittente huiusmodi
maleficio sunt innodati, suadebit Sacerdos, ut
peracta peccatorum suorum integra & dolorosa
confessione, sacratissimum Christi Corpus sæpius
reuerenter sumant, & exemplo Tobia & Sara
aliquot diebus à copula abstinentes, ieiunio &
precibus, alijsq; pijs operibus & eleemosynis se
preparent. Interim etiam se præsentent Sacer-
doti, qui illos aliquoties exorcizabit, & precibus
Ecclesie benedicet, Deoq; commendabit in hunc,
qui sequitur, modum.

Asperget coniuges Aqua benedicta, & dicet
alta voce:

Vers. Adiutorium ✠ nostrum in nomine
Domini. Resp. Qui fecit cælum & terram.
Postea Litanijs ut supra, fol. 141. Vers. Sal-
uos fac seruum tuum, & ancillam tuam.
Resp.

Resp. Deus meus sperantes in te. *Vers.* Mite eis Domine auxilium de sancto. *Resp.* Et de Sion tuere eos. *Vers.* Nihil proficiat inimicus in eis. *Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. *Vers.* Esto eis Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos omnipotens & misericors Deus, vt quod nostro ministratur officio, tua benedictione protinus impleatur. Per Dominum nostrum, &c. *Resp.* Amen.

Oremus.

Propitiare Domine supplicationibus nostris, & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste: vt quod te auctore iunctum est, te auxiliante seruetur. Per Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

Deus, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti: qui dispositis vniuersitatis exordiis, hominẽ ad imaginem Dei facto, ideò inseparabile mulieris adiutorium condidisti, vt femineo corpori de virili dares carne principium, docens quod ex vno placuisset institui, numquam licere disungi. Deus qui tam excellenti mysterio coniugalem

lem copulam consecrasti, vt Christi & Ecclesie Sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum. Deus per quem mulier iungitur viro, & societas principaliter ordinata, ea benedictione donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluuij est ablata sententiam: respice propitius super hos famulos tuos, qui maritali iuncti consortio, tua se expetunt protectione muniri: sit in illis iugum dilectionis & pacis: nihil in illis ex actibus suis ille auctor præuaricationis vsurpet: sint fecundi in sobole, & videant filios filiorum suorum, vsque ad tertiam & quartam generationem: & ad optatam perueniant senectutem, atque ad cælestia regna perueniant. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit. *Resp. Amen.*

Surgens Sacerdos ab oratione, asperget Coniugatos iterum Aqua benedicta, & leget super illos quæ sequuntur.

Lectio libri Tobie. Tob. 8.

TVnc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio. Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi sicut gentes quæ
igno-

224 MANVALIS EXORCISMORVM
ignorant Deum. Surgentes autem pariter,
instanter orabant ambo simul, vt sanitas
daretur eis. Dixitque Tobias: Et nunc Do-
mine tu scis quia non luxuriæ causa accipio
sororem meam coniugem, sed sola posteri-
tatis dilectione, in qua benedicatur nomen
tuum in sæcula sæculorum. Dixit quoque
Sara: Miserere nobis Domine, miserere no-
bis, & consenescamus ambo pariter sani.
Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæ-
monium, & religauit illud in deserto supe-
rioris Ægypti. Tu autem Domine, miserere
nobis. *Resp.* Deo gratias.

Sequentia sancti Euangelij secundum
Ioannem. *Ioan. 2.*

IN illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in
Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vo-
catus est autem & Iesus, & discipuli eius, ad
nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu
ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Ie-
sus: Quid mihi & tibi est, mulier? nondum
venit hora mea. Dicit mater eius ministris:
Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant
autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secun-
dum purificationem Iudæorum, capientes
singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis
Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleue-
runt eas vsque ad summum. Et dicit eis Ie-
sus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et
tule.

tulerunt. Vt autem gustauit architriclinus
 aquam vinum factam, & non sciebat vnde
 esset, ministri autem sciebat qui hauserant
 aquam; vocat sponsum architriclinus, & di-
 cit ei: Omnis homo primùm bonum vinum
 ponit; & cùm inebriati fuerint, tunc id quod
 deterius est: tu autem seruasti bonum vi-
 num vsque adhuc. Hoc fecit initium signo-
 rum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit
 gloriam suam, & crediderunt in eum disci-
 puli eius. *Resp.* Laus tibi Christe.

Psalms 127.

BEati omnes qui timent Dominum: qui
 ambulant in viis eius.

Labores manuum tuarum quia mandu-
 cabis: beatus es, & benè tibi erit.

Vxor tua sicut vitis abundans: in lateri-
 bus domus tuæ.

Filij tui sicut nouellæ oliuarum: in cir-
 cuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo: qui timet
 Dominum.

Benedicat tibi Dñs ex Sion: & videas
 bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem
 super Israel. Gloria. Oremus.

Domine Iesu Christe, beatissimæ Virgi-
 nis Mariæ Ioseph desponsatæ filius, qui
 in Paradiso terrestri Matrimonium insti-
 tuisti,

P

tuisti,

226 MANVALIS EXORCISMORVM
tuisti, in officium, & conseruationem, &
multiplicationem humani generis, & ipsum
Matrimonium mirabiliter honorasti in ad-
uentu tuo, & primordiis miraculorum tuo-
rum: dignare hos quos matrimonialiter
coniunxisti, per merita & preces beatissi-
mæ Virginis Mariæ matris tuæ, & omnium
Sanctorum & Sanctarum tuarum, bene-
dicere, ac plenè liberare ab omni ligamen-
to, fascinatione, & maleficio satanæ, & dare
fecunditatem & gratiam vt liberè possint
vti matrimonio suo ad generandas & edu-
candas proles ad laudem & gloriam tuam:
In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠
sancti. *Resp.* Amen. Oremus.

Domine Iesu Christe, fili Dei viui, qui
vterum beatissimæ Virginis Mariæ mi-
rabiliter fecundasti, vt de Spiritu sancto
conciperet, portaret, pareret ac nutriret te
Deum ac Dominum Saluatorem nostrum:
suppliciter inuocamus clementiam tuam,
vt his famulis tuis N. & N. fecunditatem
donare digneris; vt generare ac nutrire va-
leant proles in vitam æternam, Amen. In
nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠
sancti. Amen. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui pri-
mos nostros parentes bona societate
copulasti: bene-✠dic, & sanctifica ✠ hos con-
iuges,

iuges, & semina in eis semen vitæ æternæ: corda eorum tui sancti Spiritus munda infusione: Angelo tuo sanante, eos à maligna dæmonum infestatione libera, & custodi, & omnes mentis & corporis aduersitates ab eis repelle: vt munimine tuo protecti, & te donante, deuotè laudent nomen sanctum tuum, quod est benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

Et aspergens illos iterùm Aqua benediãta, exorcizabit illos sequenti Exorcismo.

E X O R C I S M V S.

EXorcizo vos, impuri dæmones, humani generis & diuinæ dispositionis inimici, in nomine indiuiduæ Trinitatis, Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ sancti, cuius potentia vniuersa creata sunt, cuius prouidentia omnia in suo ordine conseruantur; vt quidquid aduersus hos coniuges moliti estis ad impediendam filiorum generationem, iuxta modum à Creatore ordinatum, eiusdem Dei nostri potestate coacti amoueat.

Adiuuro vos per eum qui de Virgine nasciturus, vt sua quòque natiuitate conjugalem statum honoraret, eam potissimùm elegit matrem, quæ iam erat desponsata viro; vt dissipatis maleficis vestris pactiõibus, aut maleficij signis, quidquid his coniugibus nocementi aut impediementi intulistis, con-

228 MANVALIS EXORCISMORVM
tinuò auferatis, liberosque ab omni vestra
fascinatione relinquatis.

Adiuuro vos per eundem Dominum no-
strum Iesum Christum, qui venit in hunc
mundum vt dissoluat opera diaboli, & chi-
rographum decreti, quod erat contrarium
nobis, tulit de medio, affigens illud cruci,
vt quidquid incantatione, aut ligatura, aut
quocumque maleficio secundum damna-
biles artes vestras effectum, quo impedian-
tur coniuges isti sanctum Matrimonij sta-
tum amplexi, ne ea quæ status sui sunt libe-
rè valeant exercere, id omne dissoluatis &
amoueatis, & nullum propter illa nocumen-
tum aut impedimentum deinceps adferre
præsumatis. Inuocamus enim contra vos
terribile nomen Domini nostri IESU Chri-
sti, vt omnes pactiones vestras rumpere
compellamini, neque maleficis, quos vestra
quasi fidelitate decipitis, fidem seruare, aut
quod pacti estis perficere vlteriùs permitta-
mini, cogente vos Cruce Christi, cuius signo
hos Christi seruos consignamus: vrgente
vos eiusdem Domini nostri eminentissima
potestate, qua & ipse spiritus nequam eii-
ciebat verbo, & discipulis suis potestatem
dedit calcandi super serpentes & scorpiones
& omnem virtutem inimici. In eius ergo
virtute præcipio vobis, vt ordinem à Deo ad
hu-

humani generis propagationem institutum perturbare desistatis; ut inuidia vestra, qua & Deo gloriam, & humano generi salutem æternam auferre nitimini, vano conatu tabescens, vobis tantummodò cruciandis feruiat; hominum verò generatione secundum honorabile coniugium torumque immaculatum procedente, electorum numerus impleatur, aspirante eodem Domino nostro Iesu Christo, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

Aspergat illum vel illos Aqua benedicta, & in pace dimittat.

Quòd si occulto Dei iudicio, vel aliqua coniugum culpa maleficium non tollatur, non desistent coniuges orationibus, ieiuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus Deum propitium sibi reddere, Missam quotidie, si possunt, audiant, & pro se etiam celebrari curabunt, frequenter confitebuntur peccata sua, & sacram Communionem reuerèter sumant: peregrinationes piè suscipiènt ad loca à Deo suis beneficiis & miraculis visitata: Reliquias, Agnos Dei, & huiusmodi sacra religiosè secum deferent: numquàm ibunt cubitum quin se feruentibus precibus Deo, B. Mariæ, Angelo Custodi, aliisque Sanctis commendent, Aqua benedicta se & lectum aspergent, palmis benedictis thalamum ornabunt: abstinebunt ab omnibus illicitis remediis, contactibus, &c. sed purè & castè ex solius prolis desiderio, Matrimonio vii cupient. Exor-

230 MANVALIS EXORCISMORVM
cismos & Preces superius positas sapius reiterari
curabunt; quibus poterit Sacerdos, si ei visum
fuerit, alias adiungere ex supra positis pro infir-
mis. Cauebit autem Sacerdos diligenter, ne per-
mittat illum errorem & rei sacrae abusum, qui ho-
die in nonnullis locis vigere dicitur, quo aliqui
tali maleficio vexatis succurri posse putant, si vir
& mulier priori Matrimonio, legitimè & in fa-
cie Ecclesie cōtracto, mutuo consensu renuntient,
& nouum coram Sacerdote contrahant. Est enim
hoc diabolicum inuentum superstitionis inducen-
da causa, vel vt res sacras hominibus ludibrio
exponat, & Sacramento Christi grauem irroget
iniuriam, cūm dicat Christus Matth. 19. Quod
Deus coniunxit, homo non separet. Denique,
huiusmodi afflicti consulunt etiam Medicos, si
fortè impedimentum ipsorum prouenerit à ma-
la corporum complexione, & humorum peccan-
tium abundantia. Quae medicina etiam possunt
indirectè prodesse huic malo, etiam quando per
diabolum introductum est.

Remedia spiritualia contra Succu- bos & Incubos.

DÆMONES incubos & succubos ho-
minibus infestos, ex D. Augustino li-
bro 15. de Ciuit. cap. 23. & aliis Patri-
bus cognoscimus: verumtamen non fa-
cile in similibus omnibus fides adhibenda, praci-
pue femineo sexui, mirabiliū formarum in ima-
gina

ginatione susceptiuo. Proinde Exorcista, vel curā animarum habens, examinabit hæc prudēter cum Medicis & Theologis peritioribus. Si cōstet probabiliter aliquem dicto modo vexari contra voluntatem suam, adhibebit remedia & Exorcismos suprā in tertia Parte, contra maleficia quibus homines solēt in propriis corporibus affligi, positos. Confiteatur sacramentaliter frequenter summa qua poterit animi contritione, præmuniat se sacra Communione, in precibus sit assiduus: inter omnes preces sæpius legat Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, his enim multos ab hac vexatione liberatos constat variis exemplis. Alia denique adhibeat, quæ superius præscripta sunt contra ligaturas, philtrea, &c.

Volunt aliqui loci mutationem contra hoc malum aliquid posse: potiùs dormitorium & lectus afflicti sæpè benedicenda ordinariis Ecclesiæ benedictionibus. Videat etiam prudens Exorcista, utrùm hæc afflictio nō infligatur à Deo aliquando feminis, ob nimiam curiositatem in vestibus, ornatu crinium, & similibus, quibus, non contenta naturali sua pulchritudine, variis fucis & mediis studet allicere viros in sui amorem. Quo fit, Deo permittente, ut fiant ludibrio demonibus, quæ nimium in sua glorientur pulchritudine. Tales adducenda ad compunctionem peccatorum suorum, & emendationem vitæ qua in posterum ab huiusmodi laqueis abstineant, & se componant ad modestiam, humilitatem, & verecundiam decentem.

Præter prædicta possunt contra hanc vexationem, quæ valdè abominabilis est, etiam applicari Exorcismi secundæ Partis huius Manualis, cum sit quadam species obsessionis, vel ei valdè affinis infestatio.

Modus exorcizandi circa quæuis animalia per maleficia & veneficia afflicta.

IN PRIMIS attendendum an fortè ex causis naturalibus animalia ægrotent, utpote ex deuoratis araneis sese pabulo ingredientibus, aut aliorum venenatorum animalculorum morfu, ex aère præ stabulorum immunditia vitiato, à bufonibus aliisque serpentibus, qui sæpè dum lac exungunt, vbera ledunt.

In iuuandis brutis animalibus maleficiatis, procedet Exorcista simili ferè modo et antè: nempe exhortâdo in primis patrem & matrem familias, omnesq; domesticos ad seriam pœnitentiam & vitæ emendationem: ut cum vera cordis humilitate & spiritus contritione ad Deum conuersi, agnoscant damna hæc ipsis immitti à bono iustoque Deo propter peccata, inter quæ numeranda sunt iuramenta & execrationes animalium, ad correctionem & probationem ipsorum.

Quocircà peccatorum suorum per bonam & salu-

salutarem coram Sacerdote Confessionem, à Dei misericordia veniam implorantes, meliora serio proponant: & sic in statu gratiae constituti, in Dei clementia fiduciam omnem collocent; parati se diuinæ voluntati, quidquid ei placuerit, conformare.

A superstitionibus aliisque diaboli & ministrorum eius hominum impostorum fraudibus cauebunt, scientes ab Ecclesia vetari omnia illa quæ non sunt instituta à Deo, vel ab Ecclesia, ad consequendos effectus supernaturales. Vnde in colligendis herbis pro alimēto bestiarum nullas adhibebunt circumstantias vanas & ad rem non facientes, sed legent Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, vel Symbolum fidei, expectantes subsidium à Dei misericordia, qua illos exaudiet tempore suo. Et quia Ecclesia pia & sollicita mater etiã Exorcismis & Adiurationibus, secundum potestatem sibi à Deo factam, diaboli conatus & insidias repellere studet, & creaturas humanis necessitatibus destinatas non modo in naturalem, sed etiam in salutarem usum per Orationes & Benedictiones sibi iterum asserat & benedicat, prout videre licet in Benedictione salis, aquæ, & similium rerum quæ in sacratiore usum ab Ecclesia assumuntur, iuxta doctrinam Apostoli dicentis, omnem creaturam bonam esse, & sanctificari per verbum Dei & orationem; licet etiam hanc sanctificationem extendere ad pecora & eorum pabula, quæ quidem quod ad præsens attinet, in hoc posita est, ut ad conuenientem & saluta-

rem vsum repurgētur à diaboli fraudibus & no-
cumentis, ne (quod Scriptura ait) creaturae quae
ad commoditatem homini subseruiunt, per insi-
pientiam fiant decipulae & captionis laquei.

Formulae Exorcismorum & Benedictionum
ex Pontificali & Missali in fine huius Manua-
lis apponuntur: & quamquā etiam aliae à teme-
rariis excogitari possint, & sint excogitatae; nul-
lus tamen Sacerdotum & Exorcistarum illis uti
praesumat, sed illas retineat quae ab Ecclesia in
vsum receptae sunt, & à veteribus vsitatae: non
tantum ut tutiores simus à superstitionibus &
erroribus aliis; sed etiam quia efficacior est oratio
nostra, quando cum Ecclesiae Precibus viuaciter
coniungitur. Ad quam rem confert etiam, ipsa
verba ab Ecclesia vsitata, in quantum fieri po-
test, retinere.

Quae iam generaliter dicta sunt, ad particula-
res vsus facile applicari possunt, pro loco & tem-
pore, & rerum occurrentium necessitate. Sed (ut
diximus) praecipua cura debet esse de apparatu,
hoc est, ut per veram poenitentiam ad Deum ex
corde conuertantur, qui in afflictione remedia
quarunt. Hoc autem dicitur potissimum propter
formularios illos, qui diuersas agendi formulas
conquirunt; & si per vnā non succedit, subinde
aliā atque aliā adhibent: tamquam si in for-
ma agendi principalis virtus collocanda esset, cum
multo maior sollicitudo esse debeat de pietate &
preparatione ad orandum, quā de forma agendi.

Absque scrupulo in omnibus (modo nihil ad-
miscant

miscant superstitionis) uti possunt Aqua benedi-
 cta, sale & pane benedicto, ramos palmarum ab
 Ecclesia benedictos suspendant in domibus & sta-
 bulis suis, cereum benedictum in die Purificatio-
 nis accendant, & in locis infestatis collocent, &
 similia approbata remedia adhibeant, quorum
 effectus & vis à Deo est, & expectatur per Preces
 Ecclesie fusas in hunc finem.

Hac breuiter instructione domesticis data,
 Exorcista ibit ad stabulum & locum in quo sunt
 animalia afflicta, dispicietq; ne forte sint aliqua
 maleficij signa sub limine abscondita, aut terra
 infossa, eaq; auferri curabit. Quæ cautio nonnul-
 lis qui totius stabuli terram ad aliquam altitudi-
 nem effoderunt, optimè cedit.

Deinde omnibus domesticis ad orationem in-
 uitatis, ipsum stabulum & animalia Aqua be-
 nedicta asperget. Postea leget clara voce flexis
 genibus, si commodè possit Litaniae Sanctorum,
 prout habentur supra fol. 141. quibus subiunget
 sequentes Orationes.

Oremus.

DEus, qui laboribus hominum etiam de
 mutis animalibus solatia subrogasti:
 supplices te rogamus, ut sine quibus non ali-
 tur humana conditio, nostris facias vsibus
 non perire. Per Dominum nostrum, &c.
 Resp. Amen.

Oremus.

TRibulationem nostram, quaesumus
 Domine, propitius respice: & iram tuæ
 indi-

indi-

236 MANVALIS EXORCISMORVM
indignationis, quam iustè meremur, auerte.
Per Dominum, &c. *Resp.* Amen. Oremus.

Averte, quæsumus Domine, à fidelibus
tuis cunctos miseratus errores, & sa-
uientium morborum, qui grassantur in ani-
malia, depelle perniciem: vt quos suo meri-
to flagellas deuios, foueas tua miseratione
correctos. Per Dominum, &c. *Resp.* Amen.

*Surgens Exorcista ab oratione asperget ite-
rùm animalia & locum totum cum astantibus
Aqua benedicta, & versus animalia maleficia
ta leget sequentia.*

Lectio Ieremiæ Prophetæ. *Ierem. 14.*

SI iniquitates nostræ contenderint contra
nos: Domine fac propter nomen tuum:
quoniam multæ sunt auersiones nostræ: ti-
bi peccauimus. Expectatio Israel, saluator
eius in tempore tribulationis. Tu autem in
nobis es Domine, & nomen tuum inuoca-
tum est super nos: ne derelinquas nos Do-
mine Deus noster. Tu autem Domine mi-
serere nobis. *Resp.* Deo gratias.

Sequentia sancti Euangelij secundum
Marcum. *Marc. 11.*

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis
suis: Habete fidem Dei. Amen dico vo-
bis, quia quicumque dixerit huic monti:
Tollere, & mittere in mare, & non hæsitau-
erit in corde suo, sed crediderit, quia quod-
cum-

cumque dixerit, fiat: fiet ei. Propterea dico vobis: omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem: vt & Pater vester qui in caelis est dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in caelis est, dimittet vobis peccata vestra. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta tollantur & evertantur omnia diabolica facta.

Vel si malit, recitabit initium Euangelij S. Ioannis, In principio, &c. fol. 202. quod contra omnia maleficia & infirmitates recte potest adhiberi.

Psalmus 53.

Deus in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tua iudica me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quaesierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus susceptor est animae meae.

Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quo-

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri, & Filio. *Psalmus 56.*

Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo: donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum: Deum qui benefecit mihi.

Misit de caelo, & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: & eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormiui conurbatus.

Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super caelos Deus: & in omni terra gloria tua.

Laqueum parauerunt pedibus meis: & incuruauerunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foueam: & inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus: paratum cor meum: cantabo, & psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine: &
psal-

psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata est vsque ad cæ-
los misericordia tua : & vsque ad nubes ve-
ritas tua.

Exaltare super cælos Deus : & super om-
nem terram gloria tua.

Gloria Patri.

Psalmus 7.

Domine Deus meus , in te speraui : sal-
uum me fac ex omnibus persequenti-
bus me , & libera me.

Ne quando rapiat vt leo animam meam :
dum non est qui redimat , neq; qui saluum
faciat.

Domine Deus meus , si feci istud : si est
iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuētibus mihi mala : de-
cidam meritò ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meam , &
comprehendat , & conculcet in terra vitam
meam : & gloriam meam in puluerem de-
ducat.

Exurge Domine in ira tua : & exaltare in
finibus inimicorum meorum.

Et exurge Domine Deus meus in præce-
pto quod mandasti : & synagoga populo-
rum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere : Do-
minus iudicat populos.

Iudica me Domine secundum iustitiam
meam:

240 MANVALIS EXORCISMORVM
meam : & secundum innocentiam meam
super me.

Consumetur nequitia peccatorum, & di-
riges iustum : scrutans corda & renes Deus.

Iustum adiutorium meum à Domino:
qui saluos facit rectos corde.

Deus iudex iustus, fortis, & patiens: num-
quid irascitur per singulos dies?

Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibra-
bit : arcum suum tetendit, & parauit illum,

Et in eo parauit vasa mortis : sagittas suas
ardentibus effecit.

Ecce parturiit iniustitiam : concepit dolo-
rem, & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum : & incidit
in foueam quam fecit.

Conuertetur dolor eius in caput eius : &
in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Confitebor Domino secundum iustitiam
eius: & psallam nomini Domini altissimi.

Gloria Patri.

EXORCISMVS.

EXorcizo te, dæmon maledicte, immun-
de ac maligne spiritus, quicumque ani-
malia ista Dei viui & veri creaturas afflige-
re aut vexare audes, & adiuro te per eum-
dem Deum viuum †, per Deum verum †,
per Deum sanctum † Patrem & Filium &
Spiritum sanctum, vt exeas & recedas à lo-
co isto,

co isto, nec vñquam huc reuerti præsumas, neque eodem loco vel alibi agentibus hominibus aut iumentis damnum vel pauperem immittas, aut quodcumq; maleficium in detrimentum vitæ illorum, vel sanitatis aut vtilitatis inferas, per eum qui te in patibulo crucis vicit & superauit, arma in quibus confidebas abstulit, spoliaq; tua distribuit, ac potestatem tuam in electorum suorum salutem & consolationem ligauit: qui & venturus est statuto tempore iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.
Resp. Amen.

Alius EXORCISMVS.

A Diuro vos, ô maligni spiritus, per creatorem cæli & terræ, per incarnationem Domini nostri Iesu Christi, eiusq; circumcisionem, apparitionem, baptismum, ieiunium, & per Crucem eius, per clauos, lanceam, latus, manus & pedes Christi perforatos, per passionem, mortem, resurrectionem, & ascensionem, & Spiritus sancti missionem, & per gloriosam Virginem Mariam, & per merita omnium Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium electorum: vt numquam amplius accessum habeatis ad hunc locum in detrimentum hominum, animalium, & quarumcumque rerum humanæ vtilitati à Deo

Q

in-

242 MANVALIS EXORCISMORVM
indultarum: In nomine Patris †, & Filij †,
& Spiritus † sancti. Resp. Amen.

*Et aspergens animalia & locum iterum A-
qua benediſta, & aſtantes, dicat:*

Domine Deus, Pater omnium rerum,
defende nos & pecora iſta, defende
Domine dona tua, defende familiam iſtam
ab omnibus malis, per virtutem Aquæ à te
ministerio Eccleſiæ benediſtæ, & per inuo-
cationem ſancti nominis tui: In nomine
Patris †, & Filij †, & Spiritus † ſancti. Et
exterminetur diabolus à terminis iuſtorum
per inuocationem ſancti nominis tui, &
omnium Angelorum, Patriarcharum, Pro-
phetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Con-
feſſorum, Virginum, & omnium electorum,
& nos & pecora hæc ab omni malo liberare
& custodire digneris. Per Chriſtum Do-
minum noſtrum. Resp. Amen.

*Poterunt prædiſta ſapiùs repeti, vel aliæ
Preces & Exorcismi ex ſuprà poſitis, vel ex iis
quæ habentur infrà contra infeſtationes do-
morum, his adiungi, mutatis mutandis.*

EXOR.

EXORCISMVS contra maleficia lacticianorum, & aliorum comestibilium, frugum, &c.



*V*ANDO lac, butyrum, vel alia comestibilia maleficiata videntur, premisis iam dictis de familia constituenda in statu gratia, premitte Exorcista (si iudicet longiores Preces adhibendas) Litanias Sanctorum, prout supra habentur fol. 141. quibus subiunget sequentes Orationes, & reliqua.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui inter cetera dona clemencie tue, hominibus ad vsus varios vite mortalis, lactis substantiam largiri dignatus es: maiestatem tuam suppliciter deprecamur, vt lactis huius substantiam sic benedicere digneris, vt & seruis tuis feliciter & copiose proueniat, & quis illo deinde ad alimentum suum, vel ad aliam vite huius commoditatem vti voluerit, gratiam tuam & benedictionem sibi gaudeat adfuisse. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, cui creaturarum tuarum bonitas placet, quiq; ex abundantia pietatis tue fideles per Prophetam tuum ad comedendum pinguia in-

Q 2

uitare

244 MANVALIS EXORCISMORVM
uitare dignatus es, atque inter alias creatu-
ras pinguedinis tuæ participes, butyro tan-
tam dignitatem tribuisti, vt non modò il-
lud hominibus omnis generis, sed vnigeni-
to etiam Filio tuo, pro salute nostra de pu-
rissima Virgine incarnato, in cibum & ali-
mentum seruire volueris: clemētiam tuam
humiliter imploramus, vt à substantia buty-
ri huius vim omnem fraudemque virulenti
hostis benignus auertas: nihil hīc nocu-
menti, nihil mortiferæ corruptionis inferre
præsumat; sed quod fidelibus tuis ad hu-
manæ indigentiaē remedium contulisti, in-
tegrum illis, iuuolatum ac incorruptum
seruetur, vt cū digna gratiarum actione
sumentes, vitæ suæ ac sanitati prodesse sen-
tiant ac lætentur. Per Christum Dominum
nostrum. *Resp.* Amen. Oremus.

OMnipotens & misericors Deus, qui
Sacerdotibus & ministris tuis, præ ce-
teris tantam gratiam conferre dignatus es,
vt quidquid in nomine tuo per eos agitur, à
te fieri credatur: quæsumus immensam cle-
mentiam tuam, vt quidquid ego, licet indi-
gnus, modò visito, visitare, quidquid bene-
dico ✠, benedicere digneris, & ad introi-
tum meæ humilitatis, omnium Sanctorum
tuorum meritis dæmones fugentur & ex-
pellantur ab hac domo, & ab his creaturis
tuis

tuis ad hominum vsum à te relictis & destinatis, cessent & tollantur omnes nequitiae & fascinationes eorum, & Angelus pacis & salutis hinc adfit, qui eos compescat, & hinc discedere cogat cum omnibus maleficiis. Per Christum Dominum nostrum.
Resp. Amen.

Deinde legat Euangelium S. Ioannis, In principio erat Verbum. ut supra, fol. 202.

EXORCISMVS *pro lacte.*

ECce Crucem ✠ Domini, fugite partes aduersæ, vicit leo de tribu Iuda, radix Daud. Exorcizo te creatura lactis in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, & in nomine Iesu Christi ✠ filij eius Domini nostri, & in virtute Spiritus ✠ sancti, vt fias lac exorcizatum in salutem fidelium, & sis omnibus ex te sumentibus sanitas animæ & corporis, & effugiat atque discedat à te nequitia omnis ac versutia diabolicæ fraudis, omnisque nocendi facultas in te omni modo per ministros satanicos introducta.

Alius EXORCISMVS.

EXorcizo te per illum qui sanctis Patribus, Abraham, Isaac, & Iacob, terram lacte & melle manantem repromisit, eandemque terram posteris eorum fideliter tradidit possidendam; ne eiusdem Dei & Domini nostri fidelibus seruis sis mali alicuius,

246 MANVALIS EXORCISMORVM
nocumenti, morbi, infirmitatis, mœroris
aut anxietatis occasio. Per eum qui ventu-
rus est iudicare viuos & mortuos, & sæcu-
lum per ignem. *Resp.* Amen.

EXORCISMVS *pro butyro.*

EXorcizo te creatura butyri, per Deum ✠
viuum, per Deum ✠ verū, per Deum ✠
sanctum, per Deum qui hominibus ab ini-
tio pro sua bonitate ad vsus vitæ huius cor-
ruptibilis butyrum de armento dedit & lac
de ouibus: vt nihil in te loci habeat aduer-
sariæ cuiuscumque virtutis operatio, nihil
in te potestatis malitia satanæ, nihil ars dam-
nata quorumuis vtriusque sexus illi impia
ac nefaria societate adhærentium, vt quouis
modo substantiam tuam minuant vel cor-
rumpant, vel quacumque ratione homini-
bus noxiam reddant: præstante illo & ser-
uante, qui venturus est iudicare viuos &
mortuos, & sæculū per ignem. *Resp.* Amen.

Alius generalis EXORCISMVS.

A Diuro te, quicumque es quietis hu-
manæ perturbator, per Patrem ✠, &
Filium ✠, & Spiritum ✠ sanctum, vt no-
cere desinas huic domui, neque audeas
malefacere frugibus & omnibus quæ in do-
mo sunt, frumento, vino, oleo, lacti, butyro,
caseis, ouis, vel animalibus, ceterisque om-
nibus ad hanc domum pertinentibus. Hoc
tibi

tibi imperet Dñs Iesus Christus per suam sanctam natiuitatem, baptismum, ieiunium, & per amarissimam suam passionem, crucem & mortem; denique per sanctam suam resurrectionem, ascensionem in cælos, & Spiritus sancti missionē. Cogant te suis precibus & meritis apud Deum exequi mandatum istud, beatissima Virgo & mater eiusdem Domini nostri Maria, nouē chori Angelorum, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Euangelistæ, Martyres, Confessores, Virgines, Viduæ, & omnes Sancti & Sanctæ Dei, quibus hæc domus & omnia ei contingentia cum omnibus habitantibus in ea sit in protectione & custodia contra omnes insidias inimici. Per eundem Dominum, &c.
Resp. Amen.

Alius EXORCISMVS contra inuisibilem lactis, butyri, vel aliarum rerum per incantationes ablationem.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui ad seruandam inter homines pacem, furtum facere, & rem proximi concupiscere prohibuisti; obsecramus clementiam tuam,

248 MANVALIS EXORCISMORVM
vt omnes qui quod iniuste concupiscunt,
dæmonis adiutorio proximis suis auferre
nituntur, dexteræ tuæ virtute coërceas, &
hisce famulis tuis, qui concessis à te vitæ suæ
subsidiis ad honorem tuum frui desiderant,
sanctorum Angelorum cōcede præsidium,
qui dæmonum potestate repressa, maleficos
iniustorum hominum conatus, quos eorum
adiumento perficiendos existimant, irritos
reddant & frustraneos. Per Christum Do-
minum nostrum. *Resp.* Amen.

EXORCISMVS.

EXorcizo te, immunde spiritus, qui ad
turbandum Christianorum quietem, &
ad iniurias in bonis temporalibus inferen-
das hominibus tua fraude deceptis auxiliū
præbes, per iudicem viuorum & mortuo-
rum, vt ab hac domo & familia omnibusq;
ad eam pertinentibus recedas, nec quid-
quam eorum quæ ad illam spectant attinge-
re vel auferre præsumas.

Exorcizo te per æternam Dei iustitiam,
ex qua lex illa, qua suum cuique dandum
esse statuitur, emanauit, vt omnibus promif-
sionibus pactis, artibus, signisque, quibus te
quasi astrictum & obligatum simulas, dissi-
patis, diuinæ seueritatis in te exercendæ
formidine, omnia quæ huius familiæ sunt,
salua & intacta dimittas. Recede ergo hinc,
diui-

diuinæ legis transgressor, hominumq; perturbator, & Angelis sanctis, quorum tutelæ familia ista commissa est, te propellentibus, fuge, nec eam in sua quiete ac bonis lædere, aut vlteriùs molestare præsumas, inuocato contra tuam malitiam nomine Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.
Resp. Amen.

Aspergatur deinde Aqua benedicta.

Possunt etiam istis aptari, quæ habentur infra contra noxia animalia, vermes, &c. corruptètes agros & fruges. Facile etiam Exorcista poterit hos Exorcismos accommodare variis rebus ad vsum hominum spectantibus, arte magica & diabolica veneficiatis.

Monebit & instruet Sacerdos in lacticiiniis operam præstantes, vt dum ad opus lactarium se parant, in se excitent fiduciam in Deum, recitentq; attentè & religiosè Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, cum Symbolo fidei. Et muniant se & opus suum signaculo sanctæ Crucis, aspergant Aqua benedicta, & ipsis lacticiiniis imponant aliquid salis benedicti, accendant cereum benedictum. Sed in applicatione prædictorum abstineant à superstitionis admiscendis; sed nudè & simpliciter hæc peragant, auxilium & subsidium expectantes à Deo per preces Ecclesiæ.

Q 5

Doce-

Docebit etiam, multas pias feminas plurimum auxilij inuenisse contra omnes maleficiorum infestationes, quod ex iisdē lacticiis vel aliis rebus, consueuissent aliquam partem dare pauperibus ad Dei gloriam ex Christiana charitate, cum recta intentione, pioq; animo.

EXORCISMVS contra imminentem tempestatem tonitruorum, fulgurum, grandinum, ventorum, &c.

PER signum ✝ Crucis de inimicis ✝ nostris libera nos ✝ Deus noster, In nomine Patris ✝, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. *Dicitur Symbolum fidei, scilicet, Credo in Deū, &c. Deinde Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Vers. Aduatorium nostrum in nomine Dñi. Resp. Qui fecit cælum & terram. Vers. Sit nomen Dñi benedictum. Resp. Ex hoc nunc & vsque in sæculum. Vers. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Resp. Et fugiant qui oderūt eum à facie eius. Vers. Exurge Christe, adiuua nos. Resp. Et libera nos propter nomen tuum. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.* Oremus.

Domine Iesu Christe, qui fecisti cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt,

sunt, quiq̄ue flumini Iordani benedixisti, at-
 que in eo baptizari voluisti, & tuas sanctissi-
 mas manus, & brachia sacratissima in cru-
 ce † extendisti, quibus aërem sanctificasti:
 obsecramus immensam pietatis & bonita-
 tis tuæ abundantiam, quatenus has nubes,
 quas ante me, & post me, & supra me, à dex-
 tris & à sinistris, video aërem perturbare,
 dissoluere & annihilare digneris: vt alligata
 potestas dæmonum impiè desæuientium,
 deficiat & turbetur, ad laudem tui sanctif-
 simi nominis, & potentissimæ maiestatis
 tuæ. Qui uiuis & regnas.

*Postea conuersus ad nubes, signet eas signo
 Crucis, dicens:* Circumdet te nubes Deus
 Pater †, circumdet te Deus Filius †, cir-
 cumdet te Deus Spiritus † sanctus. De-
 struat te Deus Pater †, destruat te Deus
 Filius †, destruat te Deus Spiritus † san-
 ctus. Comprimat te Deus Pater †, com-
 primat te Deus Filius †, comprimat te
 Deus Spiritus † sanctus. Amen.

Obsecratio.

Sanctus Matthæus, sanctus Marcus, san-
 ctus Lucas, sanctus Ioannes Euangelista,
 qui Christi Euangelium per quattuor mun-
 di partes diuulgarunt, ipsi suis meritis &
 precibus hanc tempestatem à termino isto,
 & ab omnibus Christianorum finibus ab
 eodem

252 MANVALIS EXORCISMORVM
eodem Domino nostro Iesu Christo re-
moueri obtineant & depelli.

EXORCISMVS.

ET ego peccator & Christi Sacerdos seu
minister, licet indignus, auctoritate &
virtute eiusdem Dei & Domini nostri Iesu
Christi, summi Imperatoris, non mea po-
tentia innixus & confusus, vobis præcipio,
immundissimi spiritus, qui has nubes seu
nebulas concitatis, in virtute eiusdem Dei
& Domini nostri Iesu Christi ✠, per sanctis-
simam eiusdem incarnationem, per sanctam
natiuitatem, per baptismum & ieiunium ip-
sius, per eius sacratissimam Crucem ✠ &
passionem, per sanctam resurrectionem, per
admirabilem ascensionem, per tremendum
aduentum eius ad iudicium, per merita in-
temeratae semperque virginis Mariæ, & san-
ctissimi N. & per merita omnium Sancto-
rum, vt exeatis ab eis, & eas dispergatis in
locis siluestribus & incultis, quatenus noce-
re non possint hominibus, animalibus, fru-
ctibus, herbis, arboribus; aut quibuscumque
rebus, humanis vsibus deputatis. Per eum-
dem Dominum nostrum Iesum Christum,
qui venturus est iudicare viuos & mortuos,
& sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Ipse vobis imperat, dæmones, qui has nu-
bes commouetis, de quo de nube lucida di-
ctum

ctum est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ✠ ipse vobis imperat, qui sua sacratissima Cruce, corporis sui sanctissimi in ea extensione, aërem purgavit: ✠ ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, principem vestrum, mortemque deuicit & ligauit, atque æternæ gehennæ mancipauit ignibus: ✠ ipse vobis imperat, qui inferno spoliato surrexit à mortuis: ✠ ipse vobis imperat, qui post quadraginta dies nube susceptus, virtute sua ascendit in cælum: ✠ ipse vobis imperat, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp. Amen. Et postea ostendat Crucem in aëra, dicens:* Ecce lignum sanctissimæ Crucis, fugite partes aduersæ; vicit enim vos & mundū Dominus noster Iesus Christus filius Dei, Imperator summus, leo de tribu Iuda, radix David.

Postea Aqua benedicta in modum Crucis aspergat per quattuor latera.

Si nondum quieuit tempestas, legantur flexis genibus Litania Sanctorum, cum quattuor immediatè subsequentibus Orationibus, prout supra fol. 141. quibus adiungantur sequentes.

Oremus.

A Domo tua, quæsumus Domine, spirituales nequitia repellantur: & aërearum discedat malignitas tempestatum. Per
Do-

254 MANVALIS EXORCISMORVM
Dominum nostrum, &c. *Resp.* Amen.

Oremus.

AD te nos, Domine, clamantes exaudi:
& aëris serenitatem nobis tribue sup-
plicantibus: vt qui iustè pro peccatis nostris
affligimur, misericordia tua præueniente,
clementiam sentiamus. Per Dominum no-
strum Iesum Christum. *Resp.* Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos
& castigando sanas, & ignoscendo con-
seruas: præsta supplicibus tuis, vt aëris tran-
quillitate donotux pietatis vtamur, & mi-
sericordiæ tuæ consolatione lætemur. Per
Dominum nostrum, &c. *Resp.* Amen.

*Surgens Sacerdos ab oratione, aspergat vt
suprà Aqua benediçta, & legat sequentia.*

Lectio libri Apocalypsis beati Ioannis
Apostoli. *Apoc. 7.*

Post hæc vidi quatuor Angelos stantes
super quatuor angulos terræ, tenentes
quatuor ventos terræ ne flarent super ter-
ram, neque super mare, neque in vllam ar-
borem. Et vidi alterum Angelum ascēden-
tem ab ortu solis, habentem signum Dei vi-
ui. Et clamauit voce magna quatuor Ange-
lis, quibus datum est nocere terræ & mari,
dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque
arboribus, quoadusq; signemus seruos Dei
nostri

nostri in frontibus eorum. Tu autem Domine miserere nostri. *Resp.* Deo gratias.

Sequentia sancti Euangelij secundum
Matthæum. *Matth. 14.*

IN illo tempore: Vespere autem facto, solus [Iesus] erat ibi: nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt. Statimque Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam vt veniret ad Iesum. Videns vero ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac. Et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum; & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? Et cum ascendisset in nauiculam, cessauit ventus. Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta impediuntur & dissipentur omnia diabolica facta. *Resp.* Amen.

Ex

Psal. 17.

IN tribulatione mea inuocaui Dominum : & ad Deum meum clamaui.

Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam : & clamor meus in conspectu eius, introiuit in aures eius.

Commota est & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.

Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo.

Inclinavit cælos, & descendit: & caligo sub pedibus eius.

Et ascendit super Cherubim, & volauit: volauit super pennas ventorum.

Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius: tenebrosa aqua in nubibus aëris.

Præ fulgore in conspectu eius nubes transferunt: grando, & carbones ignis.

Et intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: grando & carbones ignis.

Et misit sagittas suas, & dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum.

Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

Milit

Misit de fummo, & accepit me: & asumpfit me de aquis multis.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me.

Notam fecisti in populis virtutem tuam: *Psal. 76.*
redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob & Ioseph.

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ: & rimuerunt, & turbatæ sunt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum: vocem dererunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitruui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est & contremuit terra.

Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. *Psal. 33.*

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei?

Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas.

Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti: Aquilonem & mare tu creasti.

R

Nihil

Nihil proficiat inimicus in nobis: & filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Psal. 103. Ab increpatione tua fugient: à voce tonitruui tui formidabunt.

Psal. 106. Dixit, & stetit spiritus procellæ: & exaltati sunt fluctus eius.

Et statuit procellam eius in auram: & siluerunt fluctus eius.

Et lætati sunt quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum.

Et exaltent eum in Ecclesia plebis: & in cathedra seniorum laudent eum.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

DEus, qui in maiestate tua ascendis super Cherubim, & ambulas super pennas ventorum, quiq; ponis tenebras latibulum tuum in circuitu tuo, & tabernaculũ tuum tenebrosam aquam in nubibus aëris: miserere, miserere nostri; placare Domine, parce populo tuo, & aërearum quæsumus discedat malignitas tempestatum, vt sicut iuste pro peccatis nostris periculo mali imminētis affligimur, ita misericordia tua præueniente, clemētiam sentiamus. Et si forsitan ope-

ra dæ-

ra dæmonum hæc concitantur in tuorum
 fidelium detrimentum ; intona, quæsumus,
 de cælo Altissime, da contra spiritalem ne-
 quitiam vocem tuam, grandinem, & carbo-
 nes ignis; fulgura coruscationem, & dissipa *Psal. 143.*
 eos, emitte sagittas tuas, & conturba eos; vt
 cognoscamus omnes te rectorem omnium
 esse, qui rerum vices ineffabili tua prou-
 dentia temperas. *Resp. Amen.*

E X O R C I S M V S .

EXorcizo vos scelestissimos dæmones,
 qui naturalia principia & aëreas impres-
 siones, ex quibus mortalibus omnibus di-
 uersimodè beneficia operatur Deus, ausi
 estis in consummationem nequitiae vestrae
 conuertere, ventos concitantes, vapores
 congregantes, nubes componentes, fulmi-
 na & tonitrua excitantes, Per Deum †
 Patrem omnipotentem, per Dominum
 Iesum Christum † filium eius vnigenitum,
 & Spiritum sanctum † Dominum & viui-
 ficantem, qui ex Patre Filioque procedit.
 Exorcizo vos per gloriosam Virginem Ma-
 riam, stellam maris, tranquillitatem & se-
 renitatem inducentem. Exorcizo denique
 vos per omnes illos, in quibus Deus mira-
 bilis & gloriosus apparet, vt à commouen-
 da hac tempestate desistatis, nec ampliùs
 terræ fructibus, multò minùs hominibus

260 MANVALIS EXORCISMORVM
noceatis. Per eundem Dominum nostrum
Iesum Christum, qui venturus est iudicare
sæculum per ignem. *Resp. Amen.*

Alia ADIVRATIO.

SANCTUS Matthæus †, sanctus Marcus †,
sanctus Lucas †, sanctus Ioannes Evan-
gelista †, qui Christi Euangelium per qua-
tuor mundi partes diuulgauerunt, ipsi suis
meritis & precibus hanc tempestatem ab
omnibus Christianorum finibus, ab eodem
Domino nostro Iesu Christo obtineant ef-
fugari & depelli. Et ego indignus Christi
Sacerdos, auctoritate & virtute eiusdē Dei
& Domini nostri Iesu Christi, summi Im-
peratoris, vobis præcipio, immundissimi spi-
ritus, si qui has tempestates concitatis, per
tremendum eius iudicium, & per sanctissi-
mæ Crucis † signum quod vobis oppono, &
per merita intemeratæ semper virginis Ma-
riæ Dei genitricis, & per merita omnium
Sanctorum, vt desinatis nocere hominibus
ceterisque rebus humano vsui concessis, &
tempestates à vobis concitatae dispergantur
in locis siluestribus, absque hominis aut in-
strumenti alicuius aut fructuum terræ nocu-
mento. Per eundem Dominum nostrum
Iesum Christum, qui venturus est iudicare
vivos & mortuos, & sæculum per ignem.
Resp. Amen.

Alia

Alia ADIVRATIO.

Adiuro vos, impij dæmones, per Deum
 omnipotentem ✠, qui populū Israelem
 præcedebat, ad ostendēdam viam, per diem
 in columna nubis, montemq; Sinai sex die- *Exod. 24.*
 bus nube textit: cuius gloria impletum est
 tabernaculum testimonij opertum nube,
 qui in nube posuit arcum fœderis sui; cuius
 vox in nube audita est, Hic est filius meus
 dilectus, in quo mihi benè complacui; &
 per Iesum Christum Dominum nostrum,
 quem nubes suscepit ab oculis Apostolo-
 rum quando ascendit ad cælum, qui in nu-
 bibus veniet ad iudicandum viuos & mor-
 tuos, quando etiam in nubibus rapiuntur
 iusti obuiam Christo. Per eum (inquam)
 qui hæc & alia mirabilia valdè operatus est
 in nubibus, adiuro vos, ne his creaturis ser-
 uientibus Deo & hominibus abutamini ad
 inferendum nocumentum alicui creaturæ.
 Per eundem Christum Dominum no-
 strum. *Resp. Amen.*

*Debent etiam statim ab initio, ut moris est,
 pulsari campana.*

*Si tempus tempestuosum adhuc permanserit,
 poterunt suprà dicta pluries repeti.*

EXORCISMVS contra quæcumque
noxia animalia, vermes, mures, fer-
pentes, & alia quæcumque agros vel
aquas extraordinariè inficientia &
corrumpentia.

EXORCISTA *veniens ad locum in-*
fectum, indutus ad minimum stola
(qua in omnibus Adiurationibus uti
debet) asperget Aquam benedictam
circum circa, vel secundum loci exigentiam.
Deinde signans se signo Crucis, dicet:

Vers. Adiutorium nostrum in nomine
Domini. Resp. Qui fecit cælum & terram.

Subiunget clara voce flexis genibus, si com-
moditas loci permittat, Litanias Sanctorum
cum Orationibus vt supra habentur fol. 141.
cum sequentibus Orationibus.

Oremus.

DEus, refugium nostrum & virtus, adesto
piis Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse
pietatis, & præsta; vt quod fideliter petimus,
efficaciter consequamur. Per Dominum
nostrum, &c. *Resp. Amen.* *Oremus.*

ALoco isto, quæsumus Domine, spiri-
tales nequitia & noxia quæque rece-
dant, & aërearum potestatum malignitas,
vt

vt præsentibus subsidiis sufficienter adiuti,
sempiterna fiducialius appetamus. Per Do-
minum nostrum, &c. *Resp. Amen.*

Oremus.

P Reces nostras, quæsumus Domine, cle-
menter exaudi, vt qui iustè pro peccatis
nostris hanc ærumnam patimur, pro tui no-
minis gloria ab eadem misericorditer libe-
remur; vt procul tuâ potentiâ expulsa hæc
noxia animalia, nulli de cetero noceant, &
hos agros, terras, aquas, in tranquillitate &
quiete dimittant; quatenus ex iis proue-
nientia tuæ maiestati deseruiant, & nostræ
necessitati absque nocumento subueniant.
Per Dominum nostrum, &c. *Resp. Amen.*

*Surgens Exorcista ab oratione, versus agros
vel aquam leget sequentia.*

Lectio Apocalypsis beati Ioannis
Apostoli. *Apoc. 9.*

ET quintus Angelus tuba cecinit: & vidi
stellam de celo cecidisse in terram, &
data est ei clavis putei abyssi. Et aperuit pu-
teum abyssi: & ascendit fumus putei, sicut
fumus fornacis magnæ: & obscuratus est
sol & aër de fumo putei. Et de fumo putei
exierunt locustæ in terram: & data est illis
potestas, sicut habent potestatem scorpio-
nes terræ: & præceptum est illis ne læderent
fœnum terræ, neque omne viride, neq; om-

R 4

nem

264 MANVALIS EXORCISMORVM
nem arborem ; nisi tantum homines qui
non habent signum Dei in frontibus suis.
Tu autem Domine, miserere nobis. *Resp.* Deo
gratias.

Sequentia sancti Euangelij secundum
Lucam. *Luc. II.*

IN illo tempore : Dixit Iesus discipulis
suis : Petite, & dabitur vobis : quærite, &
inuenietis : pulsate, & aperietur vobis. Om-
nis enim qui petit, accipit : & qui quærit,
inuenit : & pulsanti aperietur. Quis autem
ex vobis patrem petit panem : numquid la-
pidem dabit illi ? aut piscem : numquid pro
pisce serpentem dabit illi ? aut si petierit
ouum : numquid porriget ei scorpionem ?
Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data
dare filiis vestris : quanto magis Pater vester
de cælo dabit spiritum bonum petentibus
se ? *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta, deleantur nostra
delicta. *Resp.* Amen.

Ex Psalmis.

Psal. 49.

DEus deorum dominus locutus est : &
vocauit terram.

A solis ortu vsque ad occasum : ex Sion
species decoris eius.

Deus manifestè veniet : Deus noster &
non silebit.

Audi populus meus, & loquar : Israel,
&

& testificabor tibi: Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.

Quoniam meæ sunt omnes feræ filiarum: iumenta in montibus & boues.

Cognoui omnia volatilia cæli: & pulchritudo agri mecum est.

Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.

Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?

Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua.

Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.

Magnus Dominus noster, & magna virtus eius: & sapientiæ eius non est numerus. *Psal. 146.*

Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores vsque ad terram.

Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cælum nubibus: & parat terræ pluuiam.

Qui producit in montibus fœnum: & herbam seruituti hominum.

R 5

Qui

Qui dat iumentis escam ipsorum: & pul-
lis coruorum inuocantibus eum.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & sem-
per: & in sæcula sæculorum. Amen.

EXORCISMVS.

EXorcizo & adiuro vos, pestiferi vermes,
per Deum Patrem omnipotentem †, &
per Iesum Christum † filiū eius Dominum
nostrum, & per Spiritum sanctum † ab
vtroque procedentem, vt confestim rece-
datis ab his campis, agris, pratis, hortis, vi-
neis, aquis, si Dei prouidentia adhuc vitam
vobis indulgeat, nec ampliùs in eis habite-
tis, sed ad illa ac talia loca transeatis, vbi nul-
lis Dei seruis nocere poteritis. Vobis, si per
maleficium diabolicum hīc estis, pro parte
diuinæ maiestatis, totius curiæ cælestis, nec
non Ecclesiæ hīc adhuc militantis impe-
ro, vt deficiatis in vobisipsis, ac decrezca-
tis, quatenus reliquiæ de vobis nullæ repe-
riantur, nisi ad gloriam Dei & ad vsum &
salutem humanam conducibiles. Quod
præstare dignetur qui venturus est iudicare
vivos & mortuos, & sæculum per ignem.
Resp. Amen.

Alius EXORCISMVS.

Adiuro vos, dæmones, per Deum Pa-
trem omnipotentem, qui in deserto
per

per quadraginta annos satiauit filios Israel manna, & ex petra aquam eduxit eis ad bibendum, vt statim ab his agris, campis, vineis, pratis, hortis, aquis, omne quod noxiū est amoueat. Adiuro etiam vos animalia, & quæcumque per maleficium diaboli noxia estis hominibus & bonis eorum, per Deum Patrem omnipotentē, & per Filium eius, & per Spiritum sanctum paraclitum, vt hinc discedatis, & nocere desinatis graminibus, frugibus, piscibus [*exprimantur quæ nocumentum patiuntur*] & dissipemini, & omnis virtus & potestas nocendi vobis adimatur, & interimat vos dextera Dei omnipotentis per inuocationem nominis sui, & per passionem & mortem Iesu Christi filij sui, & per merita beatissime Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum & Sanctarum cælestis curiæ. Amen.

Concludat Exorcista sequenti Oratione.

OMnipotens sempiterne Deus, remunerator omniū bonorum, & pœnitentium peccatorum maximus miserator: in cuius nomine omnia genua flectuntur, cælestium, terrestrium, infernorum: concede nobis propitius, vt quod de gratia & misericordia tua confisi agimus, per eandem gratiam & virtutem tuam efficacem consequatur effectum; vt per tuam clementiam ab
hac

268 MANVALIS EXORCISMORVM
hac peste liberati, maiestati tuæ congruas
gratiarum referamus actiones. Per Chri-
stum Dominum nostrum. *Resp. Amen.*

Oratio propria super aquas infectas.

Domine Iesu Christe, qui Iordanis flu-
men benedixisti, & in eodem baptiza-
tus aquas mundasti, vt elementum salubre
efficerentur in remissionem peccatorum:
has quoque aquas benedicere, sanctificare,
& purificare digneris: vt nihil in iis noxium,
nihil pestilens remaneat, nihil inficiens aut
corrumpens, sed munda omnia efficiantur
& salubria. Quatenus quæ ad vsum huma-
num ex iis vel in iis creata sunt, cum pro-
motione gloriæ tuæ, vitæque nostræ & sani-
tatis sumantur. Qui viuis & regnas cum
Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus:
per omnia sæcula sæculorum. *Resp. Amen.*

*Deinde asperget vt supra Aquam benedi-
ctam. Possunt etiam hinc inde poni & insigi
palme benedictæ ab Ecclesia.*

Modus

Modus discernendi APPARITIONES
SPIRITVVM, vtrum boni sint an
mali: cum remediis & Exorcismis
contra spiritus malos infestantes do-
mos vel alia loca.

ETSI donum discernendi spiritus non
sit omnium, sed peculiari gratia quibus-
dam concedatur, & negari non debeat,
quin honorum hominum spiritus sin-
gulari dispensatione Dei redire possint, & ali-
quando redeant, teste Scriptura, quæ refert Samue-
lem apparuisse Sauli, teste item D. Gregorio in
Dialogis; licet etiam de Angelorum apparitioni-
bus multa in Scripturis habeantur: tamen cum eis
malignorum spirituum fraudes optimè sint notæ,
& probè sciant, quantum nobis ab eorum insidiis
periculi sit, nihil offendentur boni spiritus, si cau-
tissimè nobis prospiciamus, & omnem insolitam
apparitionem suspectã habeamus, ac proinde sic-
ubi spiritum tumultuantem aut cientem terribi-
les strepitus audierimus, aduersus eum tamquam
demonem armemur, tantisper donec aliud certis-
simis documentis deprehendatur. Et in hunc usum
accommodari possunt quæ de spirituum immun-
dorum discretione disserit S. Antoninus apud
Athanasium in Vita ipsius, potissimum à cap. 18.
quod sic inchoatur: Nunc iam ceteras vobis
dæmonum explicabo fallacias, &c.

In

In gratiam tamen eorum qui fortè carent libris necessariis, ex quibus hæc discere possent, subiunguntur hic aliquot regule, quibus discerni facile poterunt apparitiones bonorum & malorum spirituum.

Indicia mali spiritus sunt:

Primò, si ad præsentiam vel usum rerum sacrarum diffugiat, nimirum signi Crucis, Aquæ benedictæ, nominis IESV, B. Virginis, aut alicuius Sancti, sacrarum Reliquiarum, Agni Dei, cerei benedicti, stola sacræ, & similium quibus Ecclesia uti consuevit contra diabolicas fraudes. Item si hæc improbet aut dissuadeat.

Secundò, si falsam vel prauam suæ apparitioni prætendat causam.

Tertiò, si aliqua dicat contra Fidem & Ecclesiæ doctrinam, vel suadeat aliquid quod sit à moribus Sanctorum alienum.

Quartò, si excitet mentem hominis ad superbiam, ad vanam gloriam, ad præsumptionem animi, ad desperationem, vel ad alium minus ordinatum effectum.

Quintò, si rem non patitur tractari cum superiore, vel Confessario.

Sextò, si in forma tetra aut abiecta appareat, vel cum factore, tumultu, horrore, clade discedat.

Septimò, si ubi semel præstitum est quod subsidij causa petiit, rursus quaesitis aliis occasionibus friuolis redeat: anima enim, ubi satis feceris, vel non redeunt, vel semel tantum ut gratias agant.

Octauò, si blandè accedat, sed postea relinquat

maero-

merorem, desolationem, turbationem animi, tenebras mentis: boni enim spiritus est illuminare, solari, & tranquillitatem animi adferre. Quod signum etiam habet locum, & obseruandum, quando non statim se spiritus prodit, vel dicit quid cupiat. Huiusmodi tamen ordinariè pro malignis haberi possunt, qui non statim indicant quid velint; præsertim si turbent domum, aliq̄, faciant que tendunt ad nocendum hominibus. Animæ redeuntes & boni spiritus non volunt aut intendunt hominibus nocumentum vel perturbationes inferre.

Aduertant tamen sedulò curam animarum gerentes ad fallacias & technas demonum, quomodo se soleant teste Apostolo transformare in Angelos lucis: proinde etiam si initio se prodant, ut spiritus boni solent, inquirant de secunda, tertia, & sequentibus apparitionibus, & facile deprehendent fraudem; non enim diu possunt lupi se tegere sub ouina pelle.

Si autem post diligentem indagationem apparitio maneat dubia an sit à bono an à malo spiritu, adhibeant remedia & Exorcismos Ecclesie, eosq̄ per preces cogant ad se manifestandos.

EXORCISMVS domus à malis spiritibus vexatæ.

Sacerdos indutus superpelliceo & stola, dicit:
 In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ sancti. Amen. Deinde flexis genibus
 Hym-

Hymnū, Veni creator Spiritus, &c. *Vers.* Exsurge Christe, adiuua nos. *Resp.* Et libera nos propter nomen tuum. *Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen. Oremus.

Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus, &c. *Resp.* Amen. Oremus.

Defende, quæsumus Domine, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, istam ab omni aduersitate familiam: & toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contulisti,

tulisti, vt quidquid in tuo nomine dignè
perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur;
quæsumus immensam clementiam tuam,
vt quod modò visitaturi sumus, visites: &
quidquid benedicturi, benedicas: & ad
ea quæ acturi sumus, dexteram tuæ poten-
tiæ extendas: sintque ad nostræ humilitatis
introitum (Sanctorum tuorum meritis) fu-
ga dæmonum, & Angeli pacis ingressus.
Per Christum. *Resp.* Amen. Oremus.

DEus Angelorum, Deus Archangelo-
rum, Deus Prophetarum, Deus Apo-
stolorum, Deus Martyrum, Deus Confes-
sorum, Deus Virginum, & omnium benè
viuentium: Deus & Pater Domini nostri
Iesu Christi, te inuoco, & nomen sanctum
tuum, ac præclaræ maiestatis tuæ clemen-
tiam supplex deosco, vt mihi auxilium
præstare digneris aduersum nequissimum
spiritum; vt vbiicumque sit, audito nomine
tuo velociter exeat & recedat. Per Chri-
stum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

A D I V R A T I O.

A Diuro te serpens antique, per Iudi-
cem viuorum & mortuorum, per Fa-
ctorem mundi, qui habet potestatem mit-
tere te in gehennam, vt ab hac domo festi-
nus discedas. Ipse tibi imperat maledicte
diabole, qui ventis ac mari & tempestatibus

S

im-

274 MANVALIS EXORCISMORVM
imperavit. Ipse tibi imperat, qui te de super-
nis cælorum in inferiora terræ demergi præ-
cepit. Ipse tibi imperat, qui te retrorsum
abire præcepit. Audi ergo satana, & time, &
victus & prostratus recede, adiuratus in no-
mine Domini nostri Iesu Christi: Qui ven-
turus est iudicare viuos & mortuos, & sæ-
culum per ignem. *Resp. Amen.*

*Deinde Sacerdos incipiet quindecim Psalmos
Graduales, qui sunt inter alios Psalmos magis
proprij ad hanc materiam: legendoq; aspergat
Aqua benedicta domus loca, illa potissimum
ubi fit maior infestatio, ac primùm inferiorem
partem domus. Moneatq; assistentes vt preces
suas cum ipsius coniungant. Psalmus 119.*

AD Dominum cùm tribularer clama-
ui: & exaudiuit me.

Domine libera animam meam à labiis
iniquis: & à lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi:
ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus
desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolonga-
tus est, habitavi cum habitantibus Cedari:
multùm incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram paci-
ficus: cùm loquebar illis, impugnabant me
gratis. Gloria Patri.

Psal-

Leuauit oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi:

Auxilium meum à Domino: qui fecit cælum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet: qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.

Per diem sol non vret te: neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc & vsque in sæculum. Gloria Patri. *Psalmus 121.*

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Ierusalem.

Ierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum Dauid.

Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem:
& abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in
turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos:
loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri:
quæsiui bona tibi.

Gloria Patri, & Filio. *Psalms 122.*

AD te leuavi oculos meos: qui habitas
in cælis.

Ecce sicut oculi seruorum: in manibus
dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus domine
suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum
nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine, miserere no-
stri: quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra:
opprobrium abundantibus, & despectio su-
perbis.

Gloria Patri. *Psalms 123.*

Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat
nunc Israel: nisi quia Dominus erat in
nobis.

Cum exurgerent homines in nos: fortè
vivos deglutissent nos.

Cum irasceretur furor eorum in nos: for-
sitàn aqua absorbuisset nos.

Tor-

Torrentem pertransiuit anima nostra:
forsitan pertransisset anima nostra aquam
intolerabilem.

Benedictus Dominus: qui non dedit nos
in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est: de
laqueo venantium.

Laqueus contritus est: & nos liberati su-
mus.

Adiutorium nostrum in nomine Domi-
ni: qui fecit cælum & terram.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & sem-
per: & in sæcula sæculorum. Amen.

*Quibus finitis, dicit Kyrie eleison. Christe
eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Vers. Et
ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed li-
bera nos à malo. Vers. Domine exaudi ora-
tionem meam. Resp. Et clamor meus ad te
veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et
cum spiritu tuo. Oremus.*

Domum tuam Domine clementer in-
gredere, & in tuorum cordibus fide-
lium, perpetuam tibi construe mansionem:
& presta, vt in hac domo nulla malignorum
spirituum dominetur nequitia. Per Chri-
stum Dominum nostrum. *Resp. Amen.*

*Deinde dicuntur alij quinque Psalmi, etiam
aspergendo loca domus.*

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.

Montes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

Benefac Domine bonis: & rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

Gloria Patri.

Psalms 125.

In conuertendo Dominus captiuitatem Sion: facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis.

Magnificauit Dominus facere nobiscum: facti sumus latantes.

Cõuerte Domine captiuitatem nostram: sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis: in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant: mittentes semina sua.

Venien-

Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 126.

Nisi Dominus ædificauerit domum: in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit ciuitatem: frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hereditas Domini, filij; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij excussorum.

Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri.

Psalmus 127.

BEati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit.

Vxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.

Filij tui sicut nouellæ oliuarum: in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo : qui timet
Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion : & vi-
deas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ
tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum : pacem
super Israel.

Gloria Patri.

Psalmus 128.

Sæpè expugnauerunt me à iuuentute
mea : dicat nunc Israel.

Sæpè expugnauerunt me à iuuentute
mea : etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricauerunt pec-
catores : prolongauerunt iniquitatem suam.

Dominus iustus concidit ceruices pecca-
torum : confundantur & conuertantur re-
trorsum omnes qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum : quod prius-
quam euellatur , exaruit.

De quo non impleuit manum suam qui
metit : & sinum suum qui manipulos col-
ligit.

Et non dixerunt qui præteribant , Bene-
dictio Domini super vos : benediximus vo-
bis in nomine Domini.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & sem-
per: & in sæcula sæculorum, Amen.

Statim dicit Kyrie eleison. *Christe eleison,*
Kyrie

Kyrie eleison. Pater noster. *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris; adesto supplicationibus nostris, vt huius domus sis protector, & nulla hîc nequitia contrariæ potestatis obsistat: sed (virtute Spiritus sancti & operatione) fiat tibi hîc purum seruitium, & deuota libertas existat. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Postea dicuntur alij quinque Psalmi Graduales, aspergendo, vt supra, loca domus Aqua benedicta.

Psalmus 129.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.

S 5

A cu-

A custodia matutina vsque ad noctem:
speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: &
copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus ini-
quitatibus eius.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 130.

Domine, non est exaltatum cor meum:
neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis: neq; in mi-
rabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam: sed exaltaui
animam meam.

Sicut ab lactatus est super matre sua: ita
retributio in anima mea.

Speret Israel in Domino: ex hoc nunc &
vsque in sæculum.

Gloria Patri. Sicut erat.

Psalmus 131.

Memento Domine Dauid: & omnis
mansuetudinis eius.

Sicut iuravit Domino: votum vouit Deo
Iacob.

Si introiero in tabernaculi domus meæ:
si ascendero in lectum strati mei.

Si dederò somnum oculis meis: & pal-
pebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis, donec in-
ueniam

ueniam locum Domino : tabernaculum
Deo Iacob.

Ecce audiuius eam in Ephrata : inueni-
mus eam in campis siluæ.

Introibimus in tabernaculum eius: ado-
rabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.

Surge Domine in requiem tuam : tu &
arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur iustitiam : &
sancti tui exultent.

Propter David seruum tuum : non auer-
tas faciem Christi tui.

Iurauit Dominus David veritatem , &
non frustrabitur eum : De fructu ventris tui
ponam super sedem tuam.

Si custodierint filij tui testamentū meum:
& testimonia mea hæc, quæ docebo eos.

Et filij eorum vsque in sæculum : sede-
bunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion : elegit
eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi: hîc
habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam eius benedicens benedicam:
pauperes eius saturabo panibus.

Sacerdotes eius induam salutari: & sancti
eius exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David: paraui lu-
cernam Christo meo.

Inimi-

Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem effloreat sanctificatio mea.

Gloria Patri. *Psalmus 132.*

ECce quàm bonum, & quàm iucundum: habitare fratres in vnum.

Sicut vnguentum in capite: quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem: & vitam vsque in sæculum.

Gloria Patri. *Psalmus 133.*

ECce nunc benedicite Dominum: omnes serui Domini.

Qui statis in domo Domini: in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta: & benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit cælum & terram.

Gloria Patri, & Filio.

Quibus finitis, dicit Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Vers. Et ne nos inducas in tentationem. Resp. Sed libera nos à malo. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

DEus qui in omni loco dominationis tuæ, custos & protector assistis, exaudi nos quæsumus; vt inuiolabilis huius domus permaneat benedictio; & beneficia tui muneris, vniuersitas quæ supplicat, mereatur. Per Christum Dominum nostrum.
Resp. Amen.

Postea in principali loco domus legat sequens Euangelium. Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Euangelij secundum
Lucam. Cap. 19.

IN illo tempore: Ingressus Iesus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zacchæus: & hic erat princeps Publicanorum, & ipse diues. Et quærebat videre Iesum, quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum: quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zacchæe festinans descende: quia hodie in domo tuo oportet me manere. Et festinans descendit: & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zacchæus, dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meo-

286 MANVALIS EXORCISMORVM
meorum, Domine, do pauperibus: & si quid
aliquem defraudavi, reddo quadruplum.
Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui
huic facta est, eò quòd & ipse fit filius Abra-
hæ. Venit enim Filius hominis quærere, &
saluum facere, quod perierat. *Resp.* Laus tibi
Christe.

Deinde benedicitur incensum hoc modo: Per
intercessionem beati Michaëlis Archangeli
stantis à dextris altaris incensi, & omnium
electorum suorum, incensum istud dignetur
Dominus bene-dicere, & in odorem sua-
uitatis accipere. Per Christum Dominum
nostrum. *Resp.* Amen.

*Posteà Sacerdos ponat incensum super ignem,
& incenset domum, dicens:* Incensum istud
à te benedictum, ascendat ad te Domine,
& descendat super nos misericordia tua.
Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spi-
ritu tuo. Oremus.

Visita, quæsumus Domine, habitatione
istam, & omnes insidias inimici ab ea
longè repelle: Angeli tui sancti habitent in
ea, qui nos in pace custodiant: & benedictio
tua sit super nos semper. Per Dominum
nostrum Iesum Christum. *Resp.* Amen.

*Posteà domum & habitatores eius benedi-
cat, dicens:* Benedictio Dei omnipotentis
Patris, & Filij, & Spiritus sancti,
descen-

descēdat super hanc domum, & omnes habitates in ea, & maneat semper. *Resp. Amen.*

Et aspergat Aqua benedicta.

Alia formula benedicendi domum infestatam à malignis spiritibus.

Sacerdos vocatus ad domum aliquam benedicendam, in ipso itinere dicat:

Domine deduc me in iustitia tua: pro- *Psal. 5.*
pter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Respice in seruos tuos, & in opera tua: & *Psal. 89.*
dirige filios eorum *N.*

Et sit splendor Domini, Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos: & opus manuum nostrarum dirige.

In ingressu domus dicat: Pax huic domui. Luc. 10.
Deinde ad inhabitantes: Pax vobis à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Illisq̄ faciet breuem exhortatiunculam lingua materna de infra scriptis rebus vel aliis pro data opportunitate.

Primò, Vt doleant de peccatis prateritis, & proponant emendationem.

Secundò, Vt satisfaciant proximo, si quoquo modo offenderint.

Tertiò, Vt remittant iniuriam & offensam, & pro offensoribus orent, vt tantò citius exaudiantur à Deo Opt. Max.

Deinde

Deinde surgens si non habeat Aquam benedictam ad manum, benedicet illam per formulam benedicendi infra positam fol. 296. illaq; asperget totam domum legendo sequentia:

Psal. 50.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealabor. *Prosequetur totum Psalmum Miserere mei Deus. fol. 109. In fine repetet, Asperges me Domine, &c. & sic repetendo, donec profecerit asperionem, & reuersus ad locum unde inceperat, dicat, Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. Resp. Qui fecit cælum & terram. Vers. Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

EXaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. *Resp. Amen.*

Oremus.

TE Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, & pro eius habitatoribus, ac rebus, vt eam benedicere, & sanctificare, ac bonis omnibus augere digneris, sicut benedicere dignatus

tus

tus es domum Abraham , Isaac , & Iacob.
Tribue illis Domine de rore cæli abundan-
tiam , & de pinguedine terræ vitæ subsi-
dium, & desideria cordis eorū ad effectum
tuæ miserationis perducas, & intra domum
istam Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque
& eius habitatores custodiant. Per Chri-
stum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

*Posteà benedicat incensum per benedictio-
nem quæ habetur infra, fol. 309 & sicut prius
incenset totam domum, vel præcipuas eius par-
tes, legendo sequentia:*

*Imponendo thus benedictum in thuribulo,
Incensum istud à te benedictum, ascendat
ad te Domine, & descendat super nos mise-
ricordia tua.*

Incensando: Dirigatur Domine oratio
mea, sicut incensum in conspectu tuo.

*Reuersus ad locum vnde inceperat , dicat:
Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Do-
mini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.
Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spi-
ritu tuo.

Oremus.

Visita , quæsumus Domine , habitatio-
nem istam, & omnes insidias inimici
ab ea longè repelle: Angeli tui sancti habitent
in ea, qui nos in pace custodiant, & bene-
dictio tua sit super nos & eam semper . Per
T Chri.

290 MANVALIS EXORCISMORVM
Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, quorum seruitium spirituale & igneum esse cognoscitur; dignare respicere & benedicere habitationem istam, vt omnes languores, omnesque infirmitates, cunctæque insidiæ inimici, odorem huius incensi sentientes, effugiant & separentur à plasmatibus tuis, & ab eorum habitatione, vt numquam lædantur à morsu antiqui serpentis, pretioso Filij tui Sanguine redempta. Qui tecum viuit & regnat in vnitæte Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Deinde ponet Crucifixi imaginem in principali loco domus, in mensa recta mappa inter duos accēsos cereos benediētos si haberi possint.

Adorans Crucem flexis genibus, dicat: Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum. *Vers.* Omnis terra adoret te Deus, & psallat tibi. *Resp.* Psalmum dicat nomini tuo Domine. Oremus.

Adesto nobis Domine Deus noster, & quos sanctæ Crucis lætari facis honore, eos quoque perpetuis defende subsidiis. Per Dominum nostrum, &c. *Resp.* Amen.

Ore-

Oremus.

DEus, qui crucis patibulum, quod prius erat sceleratis ad pœnam, conuertisti redemptis ad vitam: concede plebi tuæ, eius vallari præsidio, cuius est armata vexillo. Sit ei Crux fidei fundamentum, spei suffragium, in aduersis defensio, in prosperis adiutamen: sit ei in hostes victoria, in ciuitate custodia, in campis protectio, in domo tutela contra sæua iacula inimicorum. Per eundem Dominum, &c. *Resp.* Amen.

Surgens Exorcista ab oratione, stans leget sequentia:

Lectio libri Regum. 2. Reg. 6.

Habitauit arca Dñi in domo Obededom Gethæi tribus mensibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius. Nuntiatumque est regi David quod benedixisset Dominus Obededom, & omnia eius propter arcam Dei. Dixitque David: Ibo & reducam arcam cum benedictione in domum meam. Tu autem Domine miserere nostri. *Resp.* Deo gratias.

E X O R C I S M V S.

EXorcizo te, immundissime spiritus, omnisque incurfio satanæ, In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ sancti, vt recedas ab his locis habitationis & quietis fidelium, nec deinceps quidquam molestiæ

T 2

aut

292 MANVALIS EXORCISMORVM
aut infestationis inferre audeas adiuratus.
Sanctus Angelus Raphael, qui te repressit à
Tobia & Sara, te etiam disperdat de domo
& loco isto, de angulis, lectis, & vniuersis lo-
cis in quibuscumque famulantes Deo habi-
tant & quiescunt, dormiunt & vigilant, aut
consistunt; nec audeas maligne spiritus &
immunde inquietare, aut molestias vel ma-
leficia suscitare contra eos, quæ sancti Chri-
smatis vnctione sunt muniti. Per eum qui
uenturus est iudicare viuos & mortuos, &
sæculum per ignem. *Resp. Amen.*

*Postea aspergat Aquam benedictam, quod
fiet post singulos Exorcismos.*

Alius EXORCISMVS.

EXorcizo te, dæmon, & adiuro te per
Deum viuum †, per Deum verum †,
per Deum sanctum †, vt exeas atque rece-
das de loco isto, nec vniquam reuertaris, nec
habitantibus in eo aut homini aut bruto
pauores immittas, aut quodcumque malefi-
cium inferas, per eum qui te vicit & supera-
uit in patibulo crucis, & potestatem tuam
ligauit, quiq; cum Deo Patre & Spiritu
sancto viuit & regnat, per omnia sæcula sæ-
culorum. *Resp. Amen.*

Alius EXORCISMVS.

OMnipotens Deus, qui est rerum om-
nium creator, custosq; fidelium, cle-
menter

menter respicere dignetur ad nostræ fragilitatis ministerium, vt ad introitum nostrum per benedictissimi & tremendi nominis IESV inuocationem, in quo flectitur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum, mundetur, benedicatur & sanctificetur habitatio ista cum locis adiacentibus, discedat omne phantasma & nequitia ac versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus; & si quid est quod incolumitati inhabitantium inuidet aut quieti, nostræ humilitatis suffragiis effugiat, per intercessionem totius cælestis exercitus, Apostolorum, Martyrum, & omnium Sanctorum, quorum præsentia & assistentia suffulti, in nomine Saluatoris nostri Iesu Christi adiuramus & vrgemus hinc discedere, per signū sanctæ Crucis ✠ immundum spiritum; præcipimusque vt in posterum cesset omnis infestatio eius, & cunctæ eius præstigiæ & phantasmata eradicentur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp. Amen.*

E X P R O B R A T I O.

TIme iudicia Dei, maledicte dæmon, expauesce iram omnipotentis, perspice iniquitates tuas quibus grauiter deliquisti, & verum bonum neglexisti: da locum vo-

T 3

lun-

294 MANVALIS EXORCISMORVM
luntati Dei, qui tibi iubeat vt statim recedas
ab hac domo, quam temerè inuadere &
molestare præsumpsisti, & habitatores eius
inquietare. Quapropter adiuro te per Deū
omnipotentem qui cuncta ex nihilo crea-
uit, & superbiam tuam fregit; per Iesum
Christum Dominum nostrum, qui est spes
nostra & salus æterna, qui facit bonitatem
cum seruis suis secundum multitudinem
misericordiæ suæ, qui expansis in cruce ma-
nibus & nudo corpore, pro peccatis nostris
Deo Patri sponte se totum obtulit; cuius
passionis merita & virtus nobis cesserunt ad
gloriam, tibi verò in confusionem, vt rece-
das à loco isto, & habitatoribus eius, intelli-
gens & sentiens vires tibi fractas, & domi-
nationem quam antea tyrannicè in genus
humanum exercueras, tibi ademptam. Er-
go humiliare sub manu Altissimi, qui ab
Ecclesia sua, quidquid est noxium, sua virtu-
te depellit; & quod salutare est, eidem lar-
gitur: qui suos fideles contra insidias ve-
stras potenter defendit, & sua, quæ non po-
test falli, gubernatione conseruat. Quod &
nobis concedat Pater †, & Filius †, & Spi-
ritus † sanctus. *Resp.* Amen.

*Aspergat Aqua benedicta, & benedicat do-
mum cum habitatoribus, dicendo: Benedictio
Dei omnipotentis Patris †, & Filij †, &
Spi-*

ritus ✠ sancti descendat super vos, & super domum vestram, & maneat semper.
Resp. Amen.

Possunt huiusmodi Exorcismi cum ceteris repeti, si non cesset infestatio, aliquoties in septimana, quoties & quamdiu prudenti Exorcista videbitur. Si breviorum Exorcismum desideret, sumat ex prædictis deuotioni suæ magis accommodata.

Formulæ benedicendi tam comestibilia quàm alia quibus vtuntur energumeni vel maleficiati: desumptæ ex Pontificali, Missali, & Rituali Romano, & ex Scriptura sacra.



VANDO QUIDEM (vt sæpius dictum est) valde utile & expediens sit energumenis vel maleficiatis vti rebus Ecclesiæ precibus benedictis, vt Aqua benedicta, pane, sale benedicto, aliisq; cibis benedictis, & vt medicina ab eisdem sumenda benedicatur, iuxta doctrinam Apostoli dicentis, omnem creaturam bonam esse, & sanctificari per verbum Dei & orationem: hic subiunguntur variæ formulæ benedictionum, quas

prudens Exorcista facile poterit accommodare aliis rebus hic non expressis, mutatis mutandis: ut hac ratione etiam excludantur formularia à temerariis quibusdam excogitata, multis superstitionibus admixtis. Et licet reperiantur fortè apud aliquos Auctores bona, non sapiètia superstitionem; nihilominus expedit illas Benedictiones & Preces retineri, quæ ab Ecclesia in usum receptæ sunt, à veteribus usitata, vel proximè ad eas accedunt, eò quòd huiusmodi efficaciores sunt & maioris meriti apud Deum, quàm priuatorum. Proinde Sacerdotes & Exorcista his solis utentur. Imò aliis uti non permittuntur, ne contingat malo delectu admitti quid minùs idoneum.

Ordo ad faciendam AQUAM
BENEDICTAM.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.
Deinde absolute incipit Exorcismum salis.

EXorcizo te, creatura salis, per Deum & viuum, per Deum & verum, per Deum & sanctum: per Deum, qui te per Elisæum prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquæ: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: & sis omnibus sumentibus te sanitas animæ & corporis: & effu-

effugiat atque discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia & nequitia vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adiuratus, per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Oremus.

Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: vt hanc creaturam salis, quam in vsum generis humani tribuisti, bene + dicere, & sancti + ficare tua pietate digneris: vt sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis: & quidquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omni que impugnatione spiritualis nequitia. Per Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Exorcismus aquæ: & dicitur absolutè.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei + Patris omnipotentis, & in nomine Iesu + Christi filij eius Domini nostri, & in virtute Spiritus + sancti: vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis suis apostaticis: per virtutem eiusdem Domini nostri Iesu Christi: qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

T 5

Ore-

DEus, qui ad salutem humani generis, maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius inuocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde: vt creatura tua mysteriis tuis seruiens, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum: vt quidquid in domibus vel in locis fidelium hæc vnda resperferit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat: vt salubritas per inuocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum.

Hic ter mittat sal in aquam in modum Crucis, dicendo semel:

Commixtio salis & aquæ pariter fiat: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Resp.* Amen. *Vers.* Dñs vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus inuictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperij Rex, ac semper magnificus triumphator: qui aduersæ dominationis

nis vires reprimis: qui inimici rugientis fa-
 uitiam superas: qui hostiles nequitas po-
 tenter expugnas: te Domine trementes &
 supplices deprecamur, ac petimus: vt hanc
 creaturam salis & aquæ dignanter aspicias,
 benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifi-
 ces: vt vbiicumque fuerit aspersa, per inuo-
 cationem sancti nominis tui, omnis infesta-
 tio immundi spiritus abigatur: terrorque
 venenosi serpentis procul pellatur: & præ-
 sentia sancti Spiritus nobis misericordiam
 tuam poscentibus, vbiique adesse dignetur.
 Per Dñm. in vnitatem eiusdem Spiritus sancti.

Benedictio SALIS.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine
 Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.
Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spi-
 ritu tuo. Oremus.

Domine Deus, Pater omnipotens, qui
 hanc gratiam cælitus salis tribuere di-
 gnatus es, vt ex illo possint vniuersa condi-
 ri quæ hominibus ad escam procreasti, be-
 nedic hanc creaturam salis ad effugandum
 inimicum, & ei salubrem medicinam im-
 mitte, vt proficiat sumentibus ad animæ &
 corporis sanitatem. Per Christum Domi-
 num nostrum. *Resp.* Amen.

Et aspergat Aqua benedicta.

Bene-

Benedictio PANIS.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris huc panem tua sancta spiritali benedictione: ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & vniuersas inimicorum insidias, tutamen. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, panem viuum, qui de cælo descendit, & dat vitam & salutem mundo: & tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen. *Aspergatur Aqua benediãta.*

Benedictio AGNI & ALIARVM CARNIUM.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui per famulum tuum Moysen, in liberatione populi tui de Ægypto agnum occidi iussisti in similitudinem Domini nostri Iesu Christi, & vtrosque postes domo-

domorū de sanguine eiusdem agni perungi
precepisti: qui que in priori Testamento car-
nes animalium in sacrificio offerri voluisti,
& in cibum & refectionem hominibus con-
cessisti: quæsumus vt hanc carnem bene-
dicere & sanctificare digneris, quam fa-
muli tui ad laudem tuam sumere deside-
rant, per resurrectionem eiusdem Domini
nostri Iesu Christi: Qui tecum viuit & re-
gnat in sæcula sæculorum. *Resp. Amen.*

Et mox aspergit Aqua benedicta.

Benedictio O V O R V M.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine
Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spi-
ritu tuo. Oremus.

SVperueniat, quæsumus Domine, tuæ be-
nedictionis gratia huic ouorū creaturæ:
vt cibus salubris fiat fidelibus tuis in gratiarū
actione sumentibus, ob resurrectionem Do-
mini nostri Iesu Christi. Qui tecum viuit &
regnat in sæcula sæculorum. *Resp. Amen.*

Et aspergat Aqua benedicta.

Benedictio quorumcumque

F R V C T V M.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine
Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic Domine hos fructus, & presta: vt qui ex eis in tuo sancto nomine vescentur, corporis & animæ salute potiantur. Per Christum Dominum nostrum.

Resp. Amen.

Et aspergantur Aqua benedicta.

Benedictio ad quodcumque COM-
ESTIBILE.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic Domine, creaturam istam N. vt sit remedium salutare generi humano: & presta per inuocationem sancti nominis tui, vt quicumque ex ea sumpserint, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum.

Resp. Amen.

Aspergat Aqua benedicta.

Benedictio VINI, CERVISIAE,
vel alterius potabilis materiæ.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Deus, Pater omnipotens, statutor omnium elementorum & fructuum, qui per Iesum Christum filiū tuum Dominum nostrum, substantiam hanc in refocillationem sitis & corporum salutem esse voluisti; te supplices deprecamur, vt exauditis orationibus nostris, eam tuæ pietatis aspectu sancti-**f**ices, atque ita omnium spirituum immundorum ab ea recedat incurfio, vt quicumque ex ea sumpferit, ei gratia tuæ benedictionis adueniat, & mala omnia te propitiante ab eo procul recedāt. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, &c.

Resp. Amen.

Et aspergat Aqua benediçta.

Alia Benedictio V I N O propria.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui in Cana Galilææ ex aqua vinum fecisti, qui es vitis vera, multiplica super nos misericordiam tuam, & bene**f**dicere & sancti**f**icare digneris hanc creaturam vini, vt quicumque

ex

304 MANVALIS EXORCISMORVM
ex eo sumet, diuinæ benedictionis tuæ opu-
lencia repleatur & sanctificetur, & corporis
sanitatem & animæ tutelam percipiat. Qui
cum Patre & Spiritu sancto viuis & re-
gnas, &c. *Resp.* Amen.

Aspergat Aqua benedicta.

Benedictio OLEI.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine
Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spi-
ritu tuo.

Oremus.

EMitte, quæsumus Domine, Spiritum
sanctum tuum Paraclitum de cælis in
hanc pinguedinem oliuæ, quam de viridi
ligno producere dignatus es, ad refectionem
mētis & corporis, vt tua sancta bene-
dictione sit omnibus hoc vnguento cælestis
medicinæ perunctis tutamen mentis & cor-
poris, ad euacuandos omnes dolores, om-
nesque infirmitates, omnemque ægritudi-
nem mentis & corporis, & si quod illis ad-
uersantium spirituum adhæreat nocumen-
tum, ad tactum & sumptionem sanctificati
olei huius abscedat, nullus spiritualibus ne-
quitiis locus, nulla refugis virtutibus sit fa-
cultas, nulla insidiantibus malis latendi li-
centia relinquatur. Per Christum Domi-
num nostrum. *Resp.* Amen.

Bene-

Benedictio quarumcumque M E -
D I C I N A R V M .

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.
Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.
Oremus.

Summe Deus, qui summa & media imaque custodis, qui omnem creaturam intrinsecus ambiendo concludis, sanctificare, & benedecere digneris hanc medicinam, & benedictionem tuam super eam digneris effundere, vt per tuam sanctissimam virtutem, & copiosissimam benedictionem, per signum sanctæ Crucis ⁊ impertitam, omnis virtus diabolica ab hac creatura, quæ hanc medicinam sumptura est, expellatur & annihiletur, tantamque virtutem merito Passionis tuæ, & viuificæ Crucis ⁊ recipiat, vt omnes immundos spiritus, incantationes, ligaturas, signaturas, facturas, & omnia maleficia possit expellere & diuertere à famulo tuo qui ea vtetur, exhibeatque ei plenum sanitatis effectum. Per Dominum nostrum Iesum, &c. *Resp.* Amen.

Oremus.

Benedico te, creatura medicinæ, in nomine altissimi Patris ⁊, & Filij ⁊, & Spiritus ⁊ sancti, qui te creauit pro tutela hu-
V mani

306 MANVALIS EXORCISMORVM
mani generis. Et rogamus te Dñe Deus no-
ster, vt hæc creatura medicinæ famulo tuo
qui ea vtetur, in nomine sanctæ Trinitatis
efficiatur salutare remedium, sitque perfe-
cta medicina in visceribus eius. Qui in Tri-
nitate perfecta viuis & regnas in sæcula sæ-
culorum. *Resp.* Amen.

Deinde aspergat Aqua benedicta.

Benedictio THALAMI.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine
Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spi-
ritu tuo.

Oremus.

Benedic, Domine, thalamum hunc: vt
omnes habitâtes in eo, in tua pace con-
sistant, & senescant, & multiplicentur in
longitudinem dierum cum incolumitate
mentis & corporis, & ad regna cælorum
perueniant. Per Dñm nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

Creator & conseruator humani generis,
dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ
salutis; tu Domine emitte benedictionem
tuam super hunc thalamum, vt quicumque
in eo requiescet, in virtute cælestis defensio-
nis ad vitam æternam proficiat, & à suis lan-
guoribus & doloribus, omnibusque infi-
diis & machinationibus diaboli & ministro-
rum

rum eius liberetur. Per Dominum, &c.
Resp. Amen.

Postea aspergat Aqua benedicta.

Benedictio CUBICULI.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

Benedic, Domine Deus omnipotens, locum istum, vt sit in eo sanitas, castitas, victoria, fortitudo, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto: & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo, Angeli tuæ lucis eum inhabitent, eumque & eius habitatores custodiant & defendant contra omnes insidias inimici; & si quæ aduersa & contraria sunt ab eo in hoc loco machinata & fabricata, auctoritate maiestatis tuæ expellant. Per Dominum, &c. *Resp.* Amen.

Oremus.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & benedic locum istum dextera tua sancta, & omnes qui in eo commorantur; illumque visitare, & inhabitantibus gratiam sanitatis impertiri digneris, sicut benedicere dignatus es cubiculo & domui

V 2 in

308 MANVALIS EXORCISMORVM
in quo exceptus fuit hospitio Propheta Eli-
seus ; & sicut visitasti & sanasti socrum Pe-
tri. Mitte Dñe sanctum Angelum tuum de
cælis, qui liberet & defendat hunc locum ab
imminentibus malis cum omnibus qui in
eo commorantur , nullaque eos nequitia
contrariæ potestatis infestet, sed virtute Spi-
ritus sancti fiat hîc tibi debitum & deuota
libertate securum seruitium. Per Dominum
nostrum, &c. *Resp.* Amen.

Deinde aspergat Aqua benedicta.

Benedictio I G N I S quo cremabun-
tur signa malefica inuenta.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine
Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.
Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spi-
ritu tuo. Oremus.

Domine Deus omnipotens , cui assistit
exercitus Angelorum cum tremore,
quorum seruitium spirituale & igneum esse
cognoscitur , dignare respicere , bene di-
cere & sanctificare hanc creaturam ignis, ut
eo combustis maleficij signis , omnes lan-
guores, omnesque infirmitates atque insi-
diæ inimici effugiant & separentur à pla-
smate tuo. Numquam lædatur à morfu an-
ticipi serpentis, quod pretioso Sanguine Filij
tui

tui redemisti. Qui tecū viuit & regnat, &c.

Resp. Amen.

Aspergat Aqua benedicta.

Benedictio THVRIS seu INCENSI.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

PER intercessionem beati Michaëlis Archangeli stantis à dextris altaris incensi, & omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus benedicere, & in odorem suauitatis accipere. Sit, quæsumus Domine, famulis tuis pretioso Sanguine tuo redemptis, defensio perpetua contra omnes spiritus malignos, & omnes incantationes, præstigia, & diabolicas vexationes: sit perpetua expulsio malignorū spirituum, & in quocumque loco odor huius incensi fuerit, nullum maleficium, nullaque molestatio diabolica possit perdurare, sed statim tua immensa potentia & virtute tollatur & abigatur per signum sanctæ Crucis & tuæ. Qui viuis, &c. *Resp.* Amen. Oremus.

Domine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, dignare benedicere & sanctificare hanc creaturam incensi, vt omnes languores om-

310 MANVALIS EXORCISMORVM
nesque infirmitates atque insidiæ inimici,
odorem incensi huius sentientes fugiant
procul, vt de cetero non audeant lædere,
molestare, aut infestare creaturas tuas aut
loca habitationis earum. Per te Iesu Christe
saluator mundi, qui viuis, &c. *Resp.* Amen.

Aspergat Aqua benedicta.

*Sequentes generales Benedictiones & Exor-
cismi possunt etiam prædictis rebus applicari, si
quando quis longiores inquirat, vel necessarias
putat.*

Benedictiones ad quæcumq; volueris
assumenda in humanum vsum per
modum cibi, potus, vel medicinæ.

Sacerdos vt supra superpelliceo & stola in-
dutus, vel saltem stola, dicat: *Vers.* Adiu-
torium nostrum in nomine Dñi. *Resp.* Qui
fecit cælum & terram. *Vers.* Benedicat nos
Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.
Resp. Et metuant eum omnes fines terræ.

Lectio libri Genesis. *Gen. 1.*

Creavit Deus hominem ad imaginem
suam; ad imaginem Dei creavit illum,
masculum & feminam creavit eos. Bene-
dixitque illis Deus, & ait: Crescite, & mul-
tiplicamini, & replete terram, & subiicite
eam, & dominamini piscibus maris, & vo-
lati-

latilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omni que volucris cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum. Et factum est ita. Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.

Resp. Deo gratias.

Sequentia sancti Euangelij secundum
Lucam. *Luc. 24.*

IN illo tempore: Dum recumberet Iesus cum illis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta, det nobis & huic creaturæ [his creaturis] Dominus suam sanctam gratiam & benedictionem, In nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus † sancti. *Resp.* Amen.

Ex Psalmis.

Domini est salus, & super populum *Psal. 3.*
tuam benedictio tua.

Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. *Psal. 132.*

V 4

Quod

Quod descendit in oram vestimenti eius,
sicut ros Hermon, qui descendit in mon-
tem Sion.

Quoniam illic mandauit Dominus be-
ne+ditionem, & vitam vsque in sæculum.

Psal. 144. Aperis tu manum tuam, & imples omne
animal bene+ditione.

Psal. 23. Hic *N.* accipiet bene+ditionem à Do-
mino, & misericordiam à Deo salutari suo.

Psal. 133. Bene+dicat te Dominus ex Sion, qui fe-
cit cælum & terram.

Vers. Domine exaudi orationem meam,
Resp. Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Do-
minus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.
Oremus.

OMnipotens Deus, adesto propitius in-
uocationibus nostris, & huic creaturæ
humanis vsibus præparatæ virtutem tuæ be-
nedictionis infunde: vt mysteriis tuis ser-
uiens, ad abigendos dæmones, morbosque
pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum:
vt quicumque hac vsus fuerit, careat omni
immunditia, liberetur à noxa, discedant
omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est
quod vtentium incolumitati inuidet aut
quieti, effugiat, vt salubritas per inuocatio-
nem tui sancti nominis expetita, ab omni-
bus sit infestationibus defensa. Per Chri-
stum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Ore-

Oremus.

DEus inuictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperij Rex, ac magnificus triumphator, qui aduersæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis sæuitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expungas. Te Domine trementes & supplices deprecamur ac petimus, vt hanc creaturam *N.* [has creaturas *N. & N.*] dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices: vt vbicumque fuerit [fuerint] in vsu adhibita [adhibitæ] ad honorem nominis tui, per inuocationem ipsius sanctissimi nominis tui, omnis infestatio immundi spiritus abigatur: terrorq; venenosi serpentis procul pellatur, & presentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus vbique adesse dignetur. Per Dominum, &c. *Resp.* Amen. Oremus.

Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, vt hanc creaturam *N.* [has creaturas *N. & N.*] quam [quas] in vsu generis humani tribuisti, benedicere & sanctificare tua pietate digneris, vt sit [sint] omnibus eam [eas] adhibentibus salus mentis & corporis, & vbicumque fuerit [fuerint] applicata [applicatæ] tollatur omnis immunditia, & cesset omnis impugnatio spiritalis nequitia.

314 MANVAL. EXORCISM. PARS III.
tia. Per Christum Dominum nostrum.
Resp. Amen.

EXORCISMVS.

EXorcizo te, [vos] creatura N. [creatura
ræ N. & N.] in nomine Dei Patris ☩ om-
nipotentis, & in nomine Iesu ☩ Christi filij
eius Domini nostri, & in virtute Spiritus ☩
sancti; vt fias creatura exorcizata ad effu-
gandam omnem potestatem inimici, & ip-
sum inimicum eradicare & explantare va-
leas cum angelis suis apostaticis, per virtu-
tem eiusdem Domini nostri Iesu Christi,
qui venturuss est iudicare viuos & mortuos,
& sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Aspergat Aqua benedicta, dicens: Bene-
dictus Deus & Pater Domini nostri Iesu
Christi, qui bene ☩ dixit nos in omni bene-
dictione spirituali in cælestibus in Christo.
Resp. Amen.

F I N I S.